

A. N. 134. 44<sup>ma</sup>

[Kat. 2]

Ya  
1695

DISPUTATIO PHYSICO-MEDIC  
DE  
MONSTROSO ABORTU  
DESSAVIENSI,

*Quam*

JEHOVA JUVANTE,

PRÆSIDE

DN. CONRADO PHILIPPO LIMMERO,  
Medicinæ Doct. Ejusdemq; Facultatis, Item Phys. ac Mathes.  
in Illustr. Lyceo Anhalt. Prof. Publ. meritissimo; Acade-  
miæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Collega  
dignissimo, nec non Reipubl. Servest. Physico or-  
dinario & Practico felicissimo,

*Mæcenate & Studiorum suorum Moderatore perpetuo reverentia  
& honoris cultu Venerando.*

Publicæ ventilationi subjiciet

Ad diem II. Martij Anni M DC XCIV.

H. L. Q. S.

AUTHOR RESPONSURUS

JOHANNES HENRICVS GRÆTZ,  
Dessa-Anhaltinus,  
Philosoph: & Medicin: Studiosus.



SERVESTÆ, EXCVDIT JOH. ERN. BEZELIVS.



*Serenissimæ ac Celsissimæ Principi,*

DOMINÆ

HENRIETTÆ CATHARINÆ

Principi Anhaltinæ, Duci Saxoniae,

Angriæ & Westphaliæ, Natæ Principi Arausionensium

Supremæ, Comiti Ascaniæ, Dominae Servestæ

& Bernburgi, &c. &c.

Tutrici & Regenti Dessaviensis Tetrarchiæ &c.

*Domina suæ Clementissimæ*

*à Consiliis tutoriis intimis,*

*Illustri & Generoso*

DN. GUILHELMO HENRICO

à Freyberg /

Serenissimæ Domus Anhaltinæ

Consiliario Status intimo & Provinciæ Dessavi-  
ensis Præfecto Supremo,

Dno. Hereditario in Möhlau, Elsdorff & Cöthen!

Mœcenati suo Magno


*Hasce Studiorum suorum primitias in*

*Observantissimi animi τεκμήριον*

*& sui Studiorumq; suorum com-  
mendationem*

Submisso consecrat  
AUTHOR,





## Prooemium.

**U**Ti constans & immutabilis ordo, & inviolabilis lex, quam Divina Sapiencia uniuscujusq; naturæ convenientissimam præscripsit Macrocosmi Incolis, oppido testatur de Creatoris T.O.M. Potentia, Providentiæq; & characteres haud obscuros de Illis nobis imprimi, dummodo oculos tum mentis tum Corporis in univ-  
ersum hoccerum Theatrum conjicere velimus; Ita Ille, qui longæ inquisitionis laborem fugere appetit, non minus de suprascriptis Dei Atributis convictus itabit, intuen-  
do Microcosmum, Præstantissimam & omnium certe Creaturarum Creaturam Nobilissimam, Hominem. Non lubet jam partem Ejus sublimiorem, divinæ Particulam Auræ, Animam perpetuo Cogitantem, scrutinio subjicere; Quamvis certe primaria hinc asserti mei peti possent ar-  
gumenta, ex consideratione sc. thesauri illius opulenti Idearum, quo suam mentem exornatam esse quisq; confi-  
tebitur, qui sensuum corporeorum fide paulisper seposita per voluntatis suæ reflexionem intima sui Ipsius penetralia intrare, lustrareque voluerit. Non lubet, inquam, hæc prolixius tractare, ne divagari à proposito meo videar, præsertim cum pleni sint hæc de re omnes Recentiorum Metaphysicorum, *Cartesii, Peireti, De la Forge* &c. Libri. Sed cum de Corporeis actura præprimis sit mea Disputatio, permanendum mihi esse in præsentiarum existimo in corporeorum meditatione. Qua de causa, seposita Hominis

A

parte

parte spirituali, consideret accuratius aliquis alteram Ejus partem Essentialem, Machinam illam Hydraulico-Pneumaticam, Corpus puta, perpendat stupendam illam omnium ejus partium structuram, & hinc resultantem observabilem symmetriam & Harmoniam, qua ad omnes functiones exercendas aptæ natæ cunctæ partes esse deprehenduntur. Nonne ultro largiendum erit, Hominem tanquam in speculo & Epitome nobis sistere DEUM, Creatorem suum, quem diffusius pariterq; ostendit tota hujus Universi moles? Sed uti subtilis admodum & tenera Ejus Corporis est fabricatio, dum ex meristubulis constare illud Anatomica Autopsia nos credere jubet, per quos humores varii velociter, quavis ordinario motu, circulare debent, ita certe mutabilitati non potest non esse hæc ipsa subjecta. Cū accedat simul Obscuritas mentiū, qua ita deprehenduntur homines nonnulli obcæcati, ut ne quidē quid utile, quidq; noxiū sibi sit, satis scire velint; Unde innumeri illi errores indies incrementū capientes prædeunt circa Diætā commissi, quibꝫ adeo male sibi mortalitas cōsulens, noxia quæq;, dūmodo gulæ cæterisq; sensibꝫ externis adblādiri deprehendantur, ingerit, eorumq; usu delectatur quā maxime, & per consequens multorum morborum cruciatus furiosos in se rapit, tandemque ipsam mortem, quæ unum quemque manet, tanquam præmium suarum actionum indubitatum. Ast voluit & huic hominum miseriæ misericordia Divina succurrere, ne uno tempore plane humanum periret genus; Quapropter Illi præter partes ad vitam propriam sustentandam necessarias, alias quoque concessit ad Generationem sui similis pertinentes, sic quasi procreatione sobolis Humani generis perennitatem, quam individuus negaverat, conservaturus. Modum igitur Mechanicum, quo Generatio hæc fiat, Loco speciminis studiorum meorum per  
duos

duos fere annos , *Promovente ea & Moderante Nobilissimo*  
*DNO. Praside, Mæcenate æternū devenerādo* , tractatorum,  
in hac Disputatione ostendere constitui, non quidem pri-  
mario, quomodo generetur fœtus naturalis , sed quo oriri  
potuerit Monstrum illud Dessaviense; Intera tamen non  
siccò plane pede prætereundo fœtus naturalis generatio-  
nem, cum existimem ea , quæ præter naturam eveniunt,  
minus cognosci, percipi & explicari posse , nisi prius satis  
innotuerit naturalis & ordinarius status & cursus. Quam-  
vis itaque me non lateat plurimos Egregios viros in præ-  
senti themate sese strenue, etsi non adeo felici cum succes-  
su, exercuisse, quos inter sunt Primarii *Georgius Schenkius,*  
*Fortunus Licetus, Conradus Lycosthenes , Arnoldus Sorbinus,*  
*Martinus Weinrichius , Laurentius Stengelius & Schottus in*  
*Physica Curiosa &c:* atque adeo me tanquam His ne in  
minimis etiam comparandum (Lubens enim agnosco vi-  
res longe esse insufficientes) Similia molientem multo  
infelicius hoc conaturum, nihilominus tamen hunc meū  
primum studiorum fœtum aliqua saltem lectione dignum  
futurum arbitror, ubi quidem omnibus ad Judicii sani & à  
præjudiciis liberi stateram ponderatis, si nonnulla ulterio-  
rem explicationem vel etiam correctionem mereri visa  
fuerint, me paratum esse fateor vel doceri ulterius, vel er-  
roneam sententiam deponere , si alia firmior & solidior  
mihi demonstratur. Interim adsit mihi Divinum Nu-  
men, Spiritusque sui Sancti gratia mentem meam ita illu-  
minet, ut Opera Ejus digna semper Veneratione & Sub-  
missione agnoscam, & præprimis quæ ad indagandam ve-  
ritatem scripturus ero, cedant in sui Nominis gloriam, Pa-  
rentum Charissimorum gaudium, & studiorum meorum  
Incrementum & stabilimentum.

DISPUTATIONIS PHYSICO-MEDICÆ

De

MONSTROSO ABORTU

DESSAVIENSI.

§. 1.




Non jam in Limine hujus Disputationis Lectori Benevolo nauseam creare animus est Etymologicis istis altercationibus, *Monstrum* à *Monstrando* dicatur, eam ob causam, quod vel ob raritatem monstratur; Vel aliquod futurum monstrat. Quamvis tamen fatendum mihi sit, priorem ultima meliorem videri, observante id quoque *Liceto Tractat. de Monstris Lib. 1. Cap. II.* eo quod hæc ultima præjudicium pro fundamento habere videatur. Monere tamen cogor, me hic vocabulum *Monstri* solum restringere velle ad Homines, relictis Animalibus & Vegetabilibus, de quibus, quando à consueta speciei suæ natura & Dispositione recedunt, Monstrositas quoque prædicatur.

§. 2

*Monstrum* itaque *Humanum* mihi notat *Fætum*, qui corporis sui insolita configuratione degenerat & recedit à recta & consueta humani Corporis dispositione. Quam Definitionem non Nominalem sed Realem esse, ipsamque *Monstri* naturam & essentiam exhaurire mihi persuadeo. Degenerat autem iste Partus *Monstrosus* variis modis à solita Corporis humani dispositione, quando nimirum alius nascitur sine Capite, alius sine brachiis, alius sine pedibus, vel quacunq; alia parte mutilus, alius defœdata facie, alius membris à suo nativo in alium extraordinarium locum translocatis,











catis, & quæ sexcenta alia horum prostant exempla, quorum Historia legi queunt apud modo citatum *Licetum in suo Tractat. de Monstris & Casparum Schottum in Physic. Curios. Lib. V. & alios.* Neminem itaque fore arbitror, qui *Abortum Monstruosum Dessaviensem* ex numero & Catalogo Monstrorum vellet excludere, cum omnes in Definitione antea data proprietates possideat, qua in re cum neminem, qui sana mente in sano corpore gaudet, mihi contradicturum promittam, lubens etiam hujus ulteriori probatione supersedeo. Maturante potius pede ad ipsum scopum pergo, daturus hujus Abortus Monstruosi Historiam, tam quoad partium externarum, quam internarum constitutionem.

§ 3.

Fabri cujusdam murarii Conjux præteriti anni die XIII. Martij post graves & sat diuturnos dolores abortum fecit monstruosum, duasque puellas quinto gestationis mense enixa est, ea, quam vides in Præsenti Icone, figura præditas externa; quæ cum anteriores tantum partes conspiciendas præbeat, merito id addi debet: Quod nimirum unus quisque Fœtus distinctos, quos habuerit humeros, scapulas, brachia, manus liberas, suamque distinctam spinam dorsi, mutua coalitione ortum sumente uno pollice magno præter propter transverso à dorsi spinis, costisque lateris sinistri in Dextro Fœtu, & lateris dextri in Fœtu sinistro Costis absentibus, & sub simplici costarum serie sese exhibentibus. Sic ut Costæ sinistrae sinistri Fœtus solæ cum Costis dextris dextri Fœtus solis unum & continuum utriusque Fœtus Thoracem circumdarent & conficerent. Continuabatur autem hæc concretio non solum per Thoracem, sed & totum abdomen usque ad regionem Inguinalem, pudendis tamen utriusque Fœtus foemineis à se invicem distinctis & cōspicuis. Simpliciter

A 3

uter-

uterq; gaudebat funiculo Umbilicali; Reliquæ interim partes externæ legitimam suam nactæ erant figuram, debitumque situm.

§. 4.

Visis membris externis horum Monstrosorum Fœtuum, ad internarum partium constitutionem progredior, eas eo ordine propositurus, quo illas cognoscere potui in Publica prædicti Abortus monstrosi sectione, quæ in *Illustris Dessaviensis regiminis Cancellaria à Nobilissimis Viris DNO. Euchlero, Medic: Doct: Sereniss: Domûs Anhaltin: Dessaviens: Archiatro Meritissimo & Physico Flius Reipublicæ Ordinario, & DNO. Præside, Mæcenatibus meis multis nominibus colendis, instituta fuit* Primo aperto thorace, ejus una communis deprehendebatur *cavitas uno continuo Diaphragmate* ab Abdomine distincta. In hac cavitate *simplices* conspiciebantur *Pulmones*, naturalem suum ad Cordis latera obtinētes situm. *Cor* unum erat & simplex in utroque fœtu, sed insolitæ magnitudinis, & figuræ triangularis magis latæ & planæ. Distinguebatur hoc per *Septum seu Parietem intergerinum unum* in *duos* sat amplos *ventriculos*. Hisce festinante cultro Anatomico in Thorace lustratis, descendebatur ad abdomen, in quo occurrebant *unum* in utroque Fœtu *Hepar*; *Unus ventriculus* in superiori seu sinistra parte duobus œsophagis, ab utroque fœtu provenientiibus, & in inferiori seu dextra parte duobus pyloris instructus; *Duo Lienes* minores; *Duplicia* item *intestina*, adeo tamen confusum obtinentia situm, ut distincte secerni nequirent, præter *intestinum rectum*, quod *duplex* ad utriusque anum tendebat; *Duplex par Renum*; *Duo Uteri*, *totidemq; Vesicæ Urinaris*. Reliquarum partium conformatio, partim propter partium flaccescentiam & putredinis initia, tum & earundem parvitatem, qua oculorum nul-

nullis Microscōpiis armatorum aciem hebetem effugiebant, partim etiam propter brevitatem temporis, quæ ad omnia accuratius lustranda non sufficebat, non adeo innotuit, interim per conjecturas probabiles in sequentibus innotescet. Quibus conjecturis certe nunc opus non esset uti, si à parente Hujus Abortus impetrari potuisset, ut hosce Fœtus Monstrosos ad accuratiorem sectionem, quam hic Servestæ *Nobiliss. Dnus Præses* instituere decreverat, concessisset. Sed ea est hominum perversa opinio & ridicula persuasio, qua putant se in propria sua viscera & carnem sævire, si tali annuerent postulato.

§. 5.

Hæc vero partium tam externarum quam internarum jam à me exhibita facies magnam certe mentibus, omnia probe secum volventibus incutere potest admirationem, quod & mihi contigisse fateor. Aspiciens enim prima fronte huncce Monstruosum Abortum, prout externe figuratus erat, non aliter judicare posse existimabam, quam internarum partium numerum & figuram responsuram esse Illius figuræ naturali & numero Partium externarum. Sed En! apertione facta contrarium patuit. Sed ne hæc admiratio vulgari illi similis evadat, qua inopinata alicujus rei conspectu Vulgi mens percutitur, attonitaque stat, nec explorandis insolitæ hujus rei rationibus sese applicat, sed potius ipsi lubet ignorantem semper & brutalem agere spectatorem, agendum in modum & causas Generationis Hujus Monstruosi Abortus inquiram, bene mecum perpendens Aurea Platonis Verba: *Valde, inquit, Philosophi illa affectio est admirari, neq; alia Origo & initium Philosophiæ quam Ista. Unde etiam ab Illustri Cartesio Tractat. De Passionib. Anim. part. II. Artic. LXX.* Admiratio dicitur *Subitanea Animi Occupatio,*  
qua

qua fertur in considerationem NB. attentam obiectorum, quae ipsi videntur rara & extraordinaria.

§. 6.

Videtur tamen mei officii esse, antequam profundius rimari incipiam *Causas Hujus Monstri*, nonnulla praelibare de *Oeconomia* in hoc *Monstruoso Abortu*, quantum fieri potest. Facilius tamen me id facturum arbitror, si prius *Oeconomiam* in *Fœtu Simplici*, *Utero adhuc incluso*, ordinariam tradidero. Sed & hanc *Oeconomiam* me dare haud posse quis facile largietur, nisi ratum & certum antea sit, quomodo *Fœtus* in *Utero Materno* nutriatur. Quod ipsum problema, verum *Eridis pomum*, multarum rixarum nec hodie sopitarum causa fuit; Quam ob rem ita hanc materiam pertractabo, ut dissentientium argumentis prolatis & examinatis meum tandem *judicium rationale* subjungam.

§. 7.

*Hominem ex ovo muliebri generari*, per recentiorum *Naturæ Ruspatorum* *Observationes* tam manifestum est, ut qui de hac re dubitare vellet *Philosophus* vel *Medicus*, proderet suam mentis pertinaciam, qua potius antiquorum auctoritati litare vellet, quam omni servitutis jugo abjecto, libere de rebus & vere judicare. Non tamen hoc jam pluribus urgebo, neque dicam, qua ratione ovum imprægnetur & ad uterum perveniat, cum de his differendi paulo post opportuniorem nactus sim occasionem. Considerare jam solum animus est *Ovum muliebri*, tanquam in *Utero* jamdum commorans, alimento ac incremento necessario egens. Cum vero in initio statim *Placenta* suam perfectionem & legitimam constitutionem nondum accipiat, sed sensim sensimque conspicua fiat, ope Cujus alimentum à *Matre Fœtum* accipere debere mox dicetur, multo minus vasa *Umbilica-*

lialia extra Fœtus abdomen in tantam longitudinem protensa sint, ut locum Uteri, cui placenta Uterina adhæret, contingere possint (quemadmodum hæc omnia Autopsia in canibus vel aliis ejusmodi animalibus fœmellis primis gestationis diebus dissectis docet, & confirmatur in Homine tribus Observationibus Abortuum dissectorum, quas habet *Jsbr. de Diemerbroek Anatom. Lib. 1. Cap. XXIX.*) Cum inquam hæ partes & viæ, per quas alimētum à Matre in Fœtum derivari debet, non adsint, aut saltem non debitæ, concludendum est, Fœtum primis suæ formationis septimanis aliunde nutriri, usque dum tandem vasa Umbilicalia, indies incrementum capiente fœtu ipso, tantam nacta sint longitudinem, & Placenta Uterina eam conformationem & perfectionem, ut ope hujus succus nutritius à sanguine materno allabente possit secerni, deindeque illorum ope in fœtum derivari.

§. 8.

Ex his itaque exsurgit Divisio Nutritionis Fœtus in *Illam, quæ fit primis Formationis septimanis, & Illam, quæ cessante prima, & aucto Fœtu, fit, & ad Tempus exclusionis usq; durat.* In *Prima Nutritione* succus Nutritius in ipso adhuc Ovo reperitur. Duplici nimirum constat Ovum Muliebri substantia, *Una* quæ *Cicatricula* audit, & hominis Novi delineata stamina in se continet; *Altera*, quæ *succus Nutritius* vocari potest, propter Cicatriculam factus. Præter hunc verò succum nutritium albugineum *Diemerbroek Anatom. Lib. 1. Cap. XXIX.* statuit Fœtum quoque primis diebus absorbere crassiorem seminis portionem in utero relictam. Sed præter omnem rationem solidam, omnemque veram experientiam. Siquidem *Nobilissimus Harvey* *Libro de Generat. Animal. Exercitat. 66, 67. & seqq.* per sæpius repetitas observationes

B

confir-

confirmat, se, postquam foemellas Damas, quæ conceperant, non multis diebus post coitum secuisset, nullum invenisse in earum uteris semen, vel ejusdem humoris vestigium, unde impossibile esse existimo, illo semine nutriri posse Foetum, si effluat, quam primum portio spirituosa ab eo separata fuerit, id quod unumquemque quoque propria potest Autopsia docere, si secare voluerit Animalia non diu post conceptionem. Hoc autem quin similiter in foeminis humanis contingat, dubitare nemo potest. Nutritur itaque Foetus in Cicatricula primis formationis suæ diebus solo quasi albumine spirituoso Cicatriculæ circumaffuso. Id quod etiam in Vegetabilibus locum habere videmus, in quorum seminibus (quæ liceat jam cum *Subtilissimo Malpighio sub fin. Anatom. Plantar. Ova Foetum principalioribus compaginatam continentia partibus* vocare) præter Germen, plantulæ futuræ ideam, continetur adhuc alia materia spirituosa, tenellæ plantæ in principio nutrimentum, quia eo tempore radices in terram elongatæ & productæ non sunt, per quas ceu vasa Umbilicalia ab utero terræ alimoniam externam accipere debent; Imo hic succus à terra tunc subministratus longe ineptior esset, & crassior, quam ut Plantulam nutrire posset, quin potius tenerrimam Ejus fibrarum admodum flexilium adhuc & mollium texturam, situm & connexionem non satis firmam destruetet, rumperetque.

§. 9.

Hoc vero nutrimento primo consumpto, foetuque majori reddito, & per consequens visceribus hinc legitime conformatis, vasisque Umbilicalibus extra Foetus abdomen protensis, alia exsurgit *Nutritio*, qua Nutrimentum à Matre accipit Foetus, mediante substantia aliqua Glandulosa, quæ *Placenta Uterina* seu ob analogiam, quam habere videtur cum



cum Hepate, sive ratione substantiæ & Coloris, sive ratione  
usus ex mente Antiquorum *Hepar Uterinum* dicitur. Est  
verò hoc Hepar Uterinum Viscus ex glandulis, innumerisq;  
arteriarum & venarum Uterinarum, nec non Umbilicali-  
um ramis, tortuosis viis & sinuosis anfractibus; sicque con-  
sistentiam aliquam carnosam efficientibus constructum.  
Concava sua superficie respicit Fœtum, annectiturque Cho-  
rio, Membranarum Fœtum involventium alteri & extre-  
mæ, in Convexa verò variæ protuberantiæ atque eminenti-  
tiæ cernuntur, quibus spongiosæ Uteri substantiæ interiori,  
similibus inæqualitatibus tempore gravidationis gaudenti  
connectitur, firmiterque cum eadem cohæret, ut mater-  
num sanguinem ab Arteriis Uterinis excipere & præparare  
possit. Cum enim manifestum sit, quod Placenta Uterina  
glandulosus & vasculosus sit contextus, plusque Sanguinis,  
quam ad ipsius Placentæ Uterinæ nutritionem requiritur, il-  
luc accedat, glandularumque usus ordinarius sit, peculiarem à Sanguine sequestrare humorem, videntur mihi illi  
nimis abjecte de hac Placenta cogitasse, statuentes ejus u-  
sum esse connectere Fœtum cum Matre; Sed potius ille  
erit longe præstantior, ut nimirum à Sanguine Materno per  
arterias Uterinas illuc allato separet tales partes, quæ quoad  
magnitudinem & figuram suam conveniant cum magnitu-  
dine & figura pororum glandularum suarum, quæque  
constituant humorem aliquem alimentitium postea à Venæ  
Umbilicalis ramis absorbendum & ad Hepar Embryonis  
derivandum.

§. 10.

Valeant igitur *Deusingius, Everhardus & Diemerbroek*,  
dum Autopsia Anatomica abusi sunt, statuentes vasa lactea  
pro nutriendo Fœtu in utero ab intestinis Matris immediate

Chylum ad Uterum deferre. Elumbibus sane argumentis  
refutare conatur *Diemerbroeck Anatom. Lib. II, Cap. XII. Qual-  
terum Nedham*, eo quod statuisset in *Tractat. de Format.  
Fœt. Cap. I.* se nulla invenire potuisse vasa Lactea ex intesti-  
nis ad uterum tendentia, quamvis crebras instituisset sectio-  
nes, ea experiendi gratia, quæ *Everhardus* invenisse gloria-  
tur. Occurrunt mihi in memoriam Experimenta nonnulla  
quæ habet *Lowerus in Tractat. de Corde Cap. V. p. m. 220. &  
seqq.* hunc in finem instituta, ut demonstraret nullas alias  
dari vias, per quas Chylus ad Sanguinem perveniat, quam va-  
sa lactea cum Ductu thoracico, refutaretque sententiam eo-  
rum, qui volunt Chylum per venas Meseraicas ad Hepar &  
Sanguinem deferri. Nihilominus tamen hæc nobis quoq;  
inservire posse puto ad demonstrandam nostræ sententiæ ve-  
ritatem, & *Deusingij* aliorumque cum Illo sententiarum falsi-  
tatem. Quippe adeo pugnat cum Veritate hæc Opinio,  
ut nullam sobriam rationem vel firmum experimentum sen-  
tentiæ huic patrocians videam. Ratio pro me militat; Si  
enim vasa lactea deferunt Chylum ad Uterum, semper hoc  
officio fungi debent, non solum tempore graviditatis, sed  
etiam quovis alio tempore. Jam autem quis usus esset Chy-  
li illuc deportati extra graviditatem? Dices forte Sanguini il-  
lum ibi admisceri, sed contra hoc sunt experimenta *Loweri*.  
At forte hoc nutritur Uterus? Neque hoc; Chylus enim  
necessario prius per reiteratas cum Sanguine circulationes  
ulterius subigi debet, antequam ad nutritionem aptus esse  
possit; Uti patet Exemplo *Ventriculi*, qui non immediate  
nutritur Chylo, quem in sua Cavitate continet, sed illo de-  
mum, qui simul cum Sanguine ad eundem revertitur per  
arterias Gastricas. Et quid commodi quæso Utero afferrent  
tam multæ Arteriæ totam ejus substantiam perreptantes,  
nisi

nisi illi cum sanguine nutrimentum afferant. Desiderat  
ne quispiam Experimentum? Agedum ! Optimus est Ana-  
tomicorum modus vasa lactea, sæpius visum nostrum effu-  
gientia, conspicua reddendi, quando minori vulnere Tho-  
raci in sinistro latere inflictio post 3. vel 4. à partu animalis  
horas comprimunt ductum Chyliferum seu Thoracicum;  
Tunc enim, cum Chylo ulterior progressio denegata sit, alius  
autem semper ex intestinis ad vasa lactea Mesenterica tran-  
seat, sicque priorem urgeat, Chylus expandit dilataturque va-  
sa lactea, ut facillimo negotio conspici possint, ubi certe ne-  
cessario deberent quoque fieri visibilia illa vasa lactea, quæ  
ad Uterum tendunt. Sed cum hoc non contingat, misere  
utique decepti fuerunt *Deusingius, Everhardus, & reliqui*  
contrarium sentientes.

§. II.

Salva nunc hæc res est, quod nutrimentum ad Placen-  
tam Uterinam deferatur per arterias Uterinas, ex qua porro  
deportatur ad Fœtum per vasa Umbilicalia, quorum tria in  
homine esse statuo; Una nimirum est Vena, nutrimentum  
ex Placenta Uterina excipiens, & ad Fœtum Hepar deferens;  
Et duæ Arteriæ, Sanguinis portionem ex arteriis duabus Ili-  
acis, ex quibus oriuntur Arteriæ umbilicales, revehentes ex  
Fœtu ad Placentam Uterinam. Urachum enim, qui dicitur  
in tunicam Allantoidem Urinam deportare, in Fœtu huma-  
no non agnosco tanquam pervium, sed solidum Vesicæ Li-  
gamentum esse sustineo, confirmantibus id ocularibus in-  
spectionibus *Bartholini, Harveii, Sylvii, Hornii, Bohnii, alio-*  
rumque clarissimorum Medicorum.

§. III.

Et hæc de *Nutritioe Fœtus per Umbilicum* sufficient;  
Ordinis ratione nunc quasi devolvor ad *Controversiam*

B 3

illam

illam adhuc in multorum Medicorum animis ardentem, nec unquam extinguibilem, de *Humore Amnii* (Membranæ illius foetus involventis & quidem immediate, nullibi interim ei adnatæ) an nimirum sit succus hicce Nutritius, an verò Excrementitius? Ultimæ sententiæ suam adjicientes calculum his primariis nituntur argumentis (1.) Quia ante quartum mensem foetus in utero nondum Os formatum habeat, neque labia ejus aperta sint, manifesta consequentia, Foetus per Os tunc nutriri non posse. (2.) Certum esse, in Utero Foetus non respirare, unde sequatur, nec Foetus humorem deglutire posse, quia respiratio ad deglutitionem maxime sit necessaria. (3.) quod metuentum sit, ne Foetus humori innatans, si os aperiret, eo inundaretur & suffocaretur. (4.) Salsedinem deprehendi in hocce Amnii Humore, si gustetur, quod confirmet, illum humorem Excrementitium esse, non Nutritium; Et quæ plura sunt. In castra autem prioris sententiæ, qua humor Amnii nutritius esse sustinetur, qui transeunt, hæcce primaria probationis suæ proferunt argumenta. (I.) quod Humor Amnii chylo prorsus similis sapore & consistentia deprehendatur. (II.) Quod idem hic succus in initio copiosior, circa finem verò gestationis longe parcius sit. (III.) Quod similis succus deprehendatur in ventriculo & faucibus Embryonis. (IV.) Quod Meconium seu scibula, quæ in intestinis foetus deprehenduntur, arguant alimenti per Os assumptionem, ejus in ventriculo conversionem in Chylum, ejusque majorem in intestinis à succo Pancreatico & Bile depurationem, & per consequens partium crassarum, fæces alvinas constituentium, sequestrationem; Quod deinde Meconium, ceu nocivum & multorum malorum authorem futurum statim post exclusionem foetus expurgandum esse recte monet *Ettmüllerus in Valetudinar. Infantil. Cap. 2. §. 5.*

In hocce igitur argumentorum æquipondio, quorsum mens mea sese debeat vertere fere nescio. Probabilior tamen & tutior mihi videtur Eorum sententia, qui humorẽ Amnii nutritium esse statuunt, non tantum propter argumentorum à me recensitorum valorem, sed & quod facile contrariæ sententiæ probationes refutari queant. Et quidem ad *primum* Argumentum quod attinet, dico, quod si verum est, Os ante quartum Mensem apertum non esse, id quod tamen Autopsia falsum esse facile demonstrari potest, tamen id cum nostra sententia conciliari potest. Antequam enim humor ille nutritius in Ipso Ovo consumitur, omniaque viscera Chylificationi inservientia debitam sortita sint conformationem, tempus aliquod notabile præterire potest, quamvis id quadrimestre esse nolim. Ad *secundum* respondeo, quod non necessum sit, ut respiratio deglutitionem concomitetur semper, nec ullatenus Nutritio foetus per os respirationem arguit, cum deglutitio & respiratio (sunt verba DNI, Etmülleri in *Disputat. de Respirat. Cap. 9. §. 5.*) sint munera plane discrepantia ac tum causis, tum materiis, tum instrumentis, tum viis, tum agendi modis, tum finibus penitus diversa. Quorsum affero ejusmodi experimentum. Si quis Liquorem, v. gr. Cerevisiam ore ac buccis detineat, eamq; auribus prius, ob incommoditatem ab introrsum nitente aëre oriundam, sedulo obturatis, nec non naribus omnino obstructis, ore insuper clauso, deglutire conetur, promptissime id effectum dabit, etiamsi & volens à respiratione abstineat, & aëris per os & nares accessus exacte sit sufflaminatus. Ad *Tertium* regero, Embryonis Os neq; tam aperte hiare, ut magna humoris copia irruere possit, neque humorem adeo magna cum vi intrare os, cum placido in statu foetum circumfluere necessum sit, propter aëris absentiam, à cujus incum-

cumbentis pressione aliás liquida majori motu & vi fluunt.  
*Quartum* eorum argumentum consistere potest, si distinguatur inter saporem, qui in initio, & illum qui, circa finem gestationis percipitur in humore amnii; In initio sapor ejus certe est dulcis mereque chylosus, circa finem vero, partibus alimentitiis absumptis & falsioribus relictis, salsus deprehenditur, quemadmodum unusquisq; invariis animalium foemellarum sectionibus experiri potest. Aliud tamen adhuc dubium oritur circa hanc sententiam, per quas nimirum vias hic humor amnii illuc perveniat, quare & ego judicium meum merito suspendo, Lectoremque remitto ad *Cl. Bohnii Circul. Anatomic. Progymnasm. 2. de Nutrit. Foetus,*

§. 14.

Pertractata hac Nutritione, cogitationes meas revoco ad Oeconomiam Foetus simplicis ordinariam, & Monstruosi Abortus nostri extraordinariam. Præmittenda autem prius est differentia, inter structuram vasorum & partium Foetus in utero adhuc detenti, & foetus jam exclusi intercedens. Cum nimirum Foetus in utero non respirationem propter denegatum aëris ad uterum accessum, pulmones quoq; collapsi subsidunt, ut hinc sanguis libere, quantum fieri debet, per eos circulare non possit, quare à sanguine aliæ viæ efformatæ deprehenduntur, defectum huncce supplentes, duæ nempe Anastomoses prope Cor, *Foramen scil. Ovale, & Ductus Arteriosus brevis.* Prima Anastomosis est inter venam Cavam sub dextra Cordis Auricula, ante ejus ingressum, & venam Pulmonalem ante Ejus in sinistram Cordis Auriculam ingressum. Secunda est inter Arteriam pulmonalem statim post ejus ex dextro Cordis Ventriculo egressum, & Arteriam Magnam, postquam sinistram Cordis ventriculum reliquit. Hæc autem Vasa perforata statim

tim post partum, quam primum Foetus respiravit, oblite-  
rantur, & in filamenta abeunt solida, hanc præprimis ob  
mechanicam causam, quod pulmones semel jam inflati, ra-  
riorem accipiant & laxiorem constitutionem ab aëre ela-  
stico, unde vasa pulmonum sanguinea in tantum amplius  
non comprimuntur coarctanturque. Hinc sanguis ex Cor-  
dis Musculoso Ventriculo dextro cum vi expulsus in Arte-  
riam Pulmonalem, motu potius recto, tanquam omnium  
simplicissimo, & quem proinde omnia corpora imprimis  
vero fluida affectant, pergit fluere ad pulmones, quam ad  
latera, quibus adjacent prædicta vasa anastomosata, qua  
propter sanguinis impulsu in hæc vasa desinente, desinit  
eorum usus. parietesque eorum invicem ad se accedunt &  
tandem coalescunt,

§. 15.

Succus igitur Alimentitius à vena Umbilicali, innume-  
ris suis ramis per totam Placentæ Uterinæ substantiam di-  
spersa exceptus & prope hepar foetus intra sinum venæ Por-  
tarum delatus ex hac in Venæ Cavæ Ramum ascendentem  
transit, in quo pergit usque ad ejus unionem cum Venæ Ca-  
væ Ramo descendente, ubi simul succus chylosus ex intesti-  
nis per vasa lactea Mesenterii & Ductum thoracicum ad  
Venam Subclaviam sinistram delatus accedit per Venæ Ca-  
væ ramum descendentem, qui duplex Succus Nutritius per-  
git recta ad Cordis dextrum Ventriculum, quem aliqua E-  
jus portio subit, & hæc in arteriam Pulmonalem expelli-  
tur, postea vero, cum per pulmones circulare nequeat,  
per ductum brevem arteriosum in Arteriam magnam,  
Cordis sinistrum ventriculum egressam deponitur; Reli-  
qua vero portio præteriens dextrum Cordis ventriculum,  
ex vena Cava transit per Anastomosi Foraminis Ovalis  
in venam Pulmonalem, unde Sinistrum Cordis Ventricu-  
luna

C

luna

lum subiens pariter in Arteriam Aortam exprimitur. Ita ut, quæ Pars sanguinis Sinistrum Cordis Ventriculum intrat, dextrum prætereat; Quæ vero dextrum Cordis Ventriculum intrat, sinistrum prætereat. Sanguis itaque hic Particulis Nutritiis commixtus eisque imprægnatus in Arteria Magna circulum suum continuans, portionem aliquam deponit in laterales Arterias Coronarias & Bronchiales, post pervenit ad repanditatem Aortæ, ubi Hæc ipsa in quatuor dividitur ramos, tres puta Ascendentes Minores, & Unum Majorem Descendentem. Tres Ascendentes, sunt Arteria Carotica dextra & Sinistra & Cervicalis Sinistra. Hæ Arteriæ suos quoque habent ramos minores, ut sic per totum corpus superius, brachia scil., faciem, cerebrum, etc. fluat sanguis, partim ut partes nutriat, partim ut certas partes lymphaticas in Glandulis relinquat, & hinc redeat ad Cor, per consimiles venas, in unum sese tandem omnes Venæ Cavæ ramū descendentem exonerantes.

§. 16.

Quartus Aortæ ramus descendens in quam plurimos rursus subdividitur Arteriarum ramos minores, à quibus cunctæ Corporis inferioris partes continentes sanguinem & succum suum nutritiū accipiunt, quiq; semper fere suas sibi cognominatas habent venas, per quas superfluous sanguis à cunctis partibus revehitur, & vel immediate in Venæ Cavæ Ramum Ascendentem, vel mediante vena Portarum, cujus in Hepate rami cum Venæ Cavæ Ascendentis ramis per mutuas Anastomoses conjunguntur, tandem in Eandem deponitur, atque sic ascendit per hanc ad dextram usque Cordis auriculam, in cujus vicinia mixtus cum sanguine, à superioribus partibus per venam Cavam descendentem reduce, tandem ingreditur dextrum Cordis ventriculum. Uno verbo in cæteris Circulatio sanguinis & humo-



humorum reliquorum in Fœtu Utero adhuc incluso non discrepat à Circulatione & Oeconomia in Fœtu excluso & adulto, nisi quod sanguinis aliqua portio per Arterias Umbilicales ex Iliacis oriundas revehatur ad Placentam Uterinam. Quare necessitas efflagitare non videtur, ut Circulationem sanguinis specialiter per cuncta vasa describam, cum hæc tractatio coincidat cum illis, quæ in *Disputat: de Chylificat: Chylig: & sanguinis Circulat:* sub Nobilissimo DN: Preside habita, dicta fuerunt & demonstrata.

§. 17.

Sequitur nunc Explicatio Oeconomiae in Abortu Monstroso, cui præmittenda est conjectura quædam de partium nonnullarum, quæ lustrari non potuerunt, numero & constitutione. Cum igitur secundum §. 4. unus fuerit ventriculus insolitæ magnitudinis & figuræ cum duobus Oesophagis & Pyloris; Sequitur hinc duplex fuisse Pancreas, duplicem ductum biliferum ex uno hepate prodeuntem, duplicia intestina cum suis sibi propriis vasis lacteis, ut & duplicem ductum thoracicum, locum supra unius cujusq; fœtus spinam ordinarium obtinentem. Cor unum fuit majoris & insolitæ molis & figuræ, manifesto indicio, illud sanguinem utriq; fœtui debuisse suppeditare, id quod fieri aliter nõ potuit, quam supponendo quod Arteria Magna post exitum ex Corde in duos Ramos Majores divisa fuerit, quorum quisque ad unum fœtum tendens subdivisus sit postea in quatuor Ramos, tres ascendentes & unum descendente. Deinde etiam Cor omnem debuit recipere sanguinem ab utroque Monstri hujus fœtu, idque factum, quatenus ex unoquoque fœtu venæ Cavæ Ramus descendens prodierit, qui duo rami se unientes ad Cor simplici forma perrexerint, ubi pariter duo rami ascendentes ex uno quoque fœtu, & jam uniti con-

currerint. Atque adeo statuo totum genus vasculosum duplex fuisse, ita ut illa viscera, quæ simplicia fuerunt, duplicia tamen habuerint vasa, id quod colligo ex eo, quia hæc viscera omnia etiam fuerunt solito majora, quare etiam plus debuerunt accipere alimenti, quam quidem simplicia vasa afferre potuissent. Ex his & præcedentibus jam Oeconomia facile fabricari potest, luculenterq; fluit hujus nostri Monstrosi Abortus, ut hinc Soli lucem fœnerari nolim.

§. 18.

Postulare nunc videtur ordinis & instituti ratio, ut ad generationis *Monstrosi Abortus* modum & Causas progrediar, antea naturalem & ordinariam hominis generationem tamen visurus. Quod dum aggredior, rem, ut ajunt, ab ovo ordiar, considerando *prima hominis principia*. Ea autem sunt duplicia, *Semen Masculinum & Fœmininum*. De utroque breviter aliquid mihi dicendum est. Et quidem *primo* quod attinet *Semen Masculinum*, id commode definiri potest, quod sit *Humor albus, subviscidus, sub viscidis particulis tamen Salino-Spirituosas volatiles continens, à sanguine Arterioso concurrentibus spiritibus animalibus in testibus secretus*. Locus, in quo semen secernitur à sanguine, sunt *Testes*, cadente hinc simul illorum sententia, qui illud generari & coqui dicunt in vasis spermaticis, arteriis puta & venis, & ulterius præparari in testibus. Substantia horum testium tam obscura hætenus plerisque fuit, ut alii illam dixerint pultaceam, alii aliam, donec demum *Ingeniosissimus Regnerus de Graef* illam ceu in profundissimo Democriti puteo hætenus latitantem nobis quam clarissime demonstravit & in apricum posuit. Quem mox propriis suis inventis confirmavit *D. Edmundus King*, Cujus inventa vide sis in *Act: Philosoph: Regiæ Societatis Anglican: Ann: 1669. Mens: Octobr: n. 52. Relat: II.* Sunt igitur  
secun-

secundum magnos hos viros *Testes* nihil aliud quam *Con-*  
*geries & Contextus vasculorum seminalium minutissimorum,*  
*arteriarum, venarum, nervorum, & vasorum lymphaticorum.*  
 Varia in hujus asserti demonstrationem possem afferre ex-  
 perimenta, & argumenta, nisi chartarum angustia hoc ip-  
 sum vetarent. Proinde unum tantum, idque omnium  
 magis obvium sufficiat. Est autem id ipsum, quod suppe-  
 ditat *Regnerus de Graef in Tractat. de Viror. Organ. Generat.*  
*inservient. p. m. 19.* quodque in publica Sectione Corporis  
 masculini, cum de Eiusdem partibus genitalibus ageret,  
 presentibus pluribus conspiciendum exhibuisse *Nobiliss.*  
*D. Praesidem* audivimus. Sumantur scilicet testiculi glirium,  
 tanquam animalium maxime salacium, venerique fre-  
 quenti deditorum, qui, tunicis suis exuti, injiciendi sunt in  
 pelvim aqua tepida plenam, leniterque agitandi stylo ali-  
 quo, hoc enim si factum fuerit, jucundissimo spectaculo li-  
 cebit videre funiculos & tubulos feminales candidissimos,  
 ita ut, si subtili tractentur manu, etiam in longum spatium  
 una serie diduci possint. Habent sibi praeterea testiculi ex  
 superiori parte sub tunica communi appensas *Epididymides*  
 seu *Parastatas* Anatomicis dictas, quae sunt funiculorum seu  
*ductuum seminalium*, ex quibus *Testes* constare modo dixi,  
*Elongationes & Continuationes.* Vasa habent *Testes* Adfe-  
 rentia & Revehentia. *Adferentia* sunt (1.) *Arteria spermatic-*  
*ae dua*, oriundae duobus circiter digitis transversis sub Arte-  
 riis Emulgentibus ex Trunco *Arteria Magnae* descendente  
 à parte anteriori. Harum *Arteriarum* officium est, san-  
 guinem ad nutritionem & secretionem seminis submini-  
 strare testiculis. (2.) *Nervi*, originem nanciscentes à *Pari*  
*Vago cerebri* seu *Octavo* secundum *Willisium*, & *Pari Me-*  
*dullae spinalis vigesimo primo.* Per hos spiritus animales  
 fluunt ad *Testes*, ut motum humoris seminalis per innu-

meros ductuum seminaliū mæandros promoveant, eumq; subtilisent & partibus salino Volatilibus spirituosus imprægnent. *Vasa Revehentia sunt* (1.) *venæ Duæ spermaticæ*, quarum dextra sanguinem à nutritione & generatione seminis residuum recipiens ex testiculo dextro deponit immediate in Venæ Cavæ truncum ascendentem; Sinistra verò ex testiculo sinistro eum revehit in Venam sinistram Emulgentem; Quamvis circa hanc insertionem Naturæ lusus deprehensus sit, quemadmodum hoc observavit *D. Nathanael Fairfax in Act. Philosoph. Reg. Societat. Angl. ANNO 1667. mens. Novembr. No. 29. Relat. IV.* Et Nobiliss. DNus Præses in Belgio quoque vidit ambas quandoq; venas spermaticas ambabus venis Emulgentibus, dextram dextræ, sinistram sinistræ insertas, quandoque vero ambas immediate Trunculo venæ Cavæ ascendentis immittas. Quam duplicis insertionis varietatem aliquoties etiam in Brutis Animalibus & olim, & hic aliquando Servestæ annotavit. (2.) *Vasa lymphatica*, lymphæ tenuioris portionem aliquam versus Receptaculum Chyli commune intra abdomen revehentia. (3.) *Vasa Ejaculatoria*, rectius vero *revehentia seu deferentia* dicta, quorum officium est, semen in testibus propter partium suarum figuræ cum poris ductuum seminalium correspondentiam à sanguine secretum, & ad Epididymides delatum, deferre ad vesiculas seminales, Cervici seu Collo vesicæ Urinariæ adjacentes.

§. 19.

In femine masculino nonnulli stammina hominis ruditer delineata, omniumque partium Ideas depictas quærunt. Originem harum Idearum deducturi, inquirunt, quod, quemadmodum radii ex infinitis objecti punctis manantes, ejus effigiem nobis representant, ita quoque aliqui spiritus seu Atomi ex singulis Corporis masculini partibus & membris

bris

bris emanarent, illarum partium impressionem & Ideam retinentes, & postmodum cum sanguine ad testes fluere, & à sanguine sese separantes illos intrent suas semper antea sibi impressas servando partium Corporis ideas. *vid. Diemerbroek Anatom. Cap. XXVIII. Lib. I.* Quæ sententia etsi primo intuitu veri quandam speciem præ se ferre videatur, illa tamen mox evanescet. Si enim Verum est, Ideas hæc novi hominis, quæ semini masculino dicuntur inesse, originem suam ducere à spiritibus cunctis ex Corporis Masculini partibus dimanantibus, tunc etiam necessario sequi debet, in semine tantum corporis Masculini partes delineatas esse, non aliter ac. (ut eorum simili hic ipse utar) radij ex omnibus objecti punctis dimanantes, eorum tantum punctorum mihi imprimunt sensationem, & per consequens illius tantum objecti, & nullius alterius, sicque semper mares generari debere. Fœminæ enim tunc procreari non poterunt, cum ideæ uteri cæterarumque partium genitalium oriri nō potuerint à spiritibus ex partibus Corporis maris dimanantibus, utpote illis partibus destituti. Posset quidem excipi fœminas generari ex errore Naturæ, sive Facultatis Formatricis, quemadmodum id ausi sunt nonnulli temerarie affirmare de sexu Fœmineo, adeoq; delineatas quidem existere potuisse partes genitales viri in semine masculino, sed cum ob quodcumque demum impedimentum Natura impedita fuerit in proposito sui simile & perfectum fœtum fabricandi, illa debuërit facere imperfectum. Sed incidunt in Scyllam, qui volebant vitare Charybdim. Lustranti enim tum omnium, tum præprimis partium genitalium structuram in fœmellis, oppido apparebit admiranda Dei, tanquam Primi Formatoris, sapientia & Providentia, qua omnia tam artificiose, tam apprimè, tamque eleganter in illis concinnavit. Dicant tandem  
quo-

quoq; Idearum seminis masculini Patroni, qui fiat, ut maritus uno pede, vel brachio, vel alio membro mutilus procreare possit liberos istis partibus non carentes, cum secundum originem Idearum ab Iplis descriptam necessario sequatur Ideam partis deficientis in semine non reperiri, adeoq; nec partem illam, cujus Idea in semine non est, generari posse. Non quidem me latet, *Diemberbroekium L. C.* huic objectioni responsurum, affirmare, Imaginationem maternam hunc defectum supplere. Sed quis sodes non videt impossibile esse, ut Imaginatio Materna sine materia substrata aliquid formare possit? Partes quidem formatas, aut quarum saltem materia jamdum adest, immutare potest, aliamq; illis conciliare formam, sed ubi nulla adest materia, nunquam efformabit aliquid, alias certe, si hoc efficere posset Imaginatio Materna, tam frequentes non exaudirentur querelæ, ob sterile Matrimonium, siquidem nihil frequentius obversari credo Imaginationi Uxorū steriliū, quam ut maritos suos pulchra faciant prole parentes,

§. 20.

Sententiæ modo refutatæ aliam videtur substituere *David van der Beeke Experiment. & Meditat. circa natural. rer. princip. Lib. II.* dum statuit in semine masculino marem contineri, in semine vero foeminino foeminam delineatam esse, unde hisce concurrentibus duobus Seminibus, Ideæ partium utriusq; sexus sibi invicem coaptarentur, & pro hujus vel illius Idearum prævalentia, generaretur Foemina vel Mas. Hæc sententia quamvis prioribus non videatur premi difficultatibus, non tamen ab iisdem prorsus libera est. Desideratur enim ab Authore, quæ nam sit provida natura seu facultas utriusque seminis Ideas adeo apprime conjungens, ut Idea Capitis in semine Foeminino exacte respondeat Ideæ  
Capi-

Capitis Seminis Masculini, ut sic proportionatum simplex  
exurgat caput, & sic de cæteris partibus. Cum Ipse *L. C. p. m.*  
*266.* fateatur Ideas in Masculino semine valde esse confu-  
sas propter liquiditatem & fluiditatem, qua nullum certum  
ordinem inter se servare possint, sed hinc inde fluitent (eo  
ipso impossibile est, ut delineatus dici queat foetus in semine  
masculino) & quod nulla Membrana contineatur. Quam  
sapissime quæso producerentur, sic se habentibus rebus,  
Monstra, quorum Membra suo nativo loco posita non es-  
sent. Ideas corporis quod attinet, quæ dicuntur in semine  
fœminino reperiri, de iis postea dicturus ero.

§. 21.

Concipio itaque in semine Masculino nihil aliud, quam  
duo genera partium, spirituosarum nempe & Glutinosis-  
rum seu crassiorum. *Illarum* natura est *Salino-volatilis, ma-*  
*ximeq; spirituosa.* A Sale enim omnis expectari debet fœ-  
cunditas; Unde etiam est, quod Phthisici, quorum Sanguis  
est acrior pluribusque refertus salibus, licet ad reliqua nego-  
tia fere omnia inepti sint, tamen procreationi Sobolis suffi-  
ciant, imo præ cæteris hoc in negotio excellent. Unde et-  
iam est, quod Corpulenti ad generationem plerumque ine-  
pti sint, siquidem illorum *Massa Sanguinea*, ea docente *Ett-*  
*müllero Disputat. de Corpulent. nimia cap. 1. artic. II. §. 7. copiosi-*  
*or, eaq; minus Salina acris & aspera, sed suaviter temperata*  
*existens & simul blando & copioso chylo turgida est*, uno ver-  
bo, pluribus abundat particulis sulphureis oleosis & crassio-  
ribus, quæ in semen transmutatæ nullam fœcunditatem in-  
troducere possunt in Ovum. Unde quoque tandem est,  
quod ea, quæ de Salibus Alkalibus participant, venerem sti-  
mulent sterilitatemque arceant, qualia sunt decocta Ligne-  
scentia ex Ligno Guajaco, Sassafras, Radic; Sarsaparill; Chinæ,

D

etf.

et. Ut & Tinctura Lignor: Tinctur:Lign:Sassafras; Omnia quoque Diuretica & Diaphoretica fixa Antimonialia, ut & salia omnia volatilia & lixiviosa; Aromata item omnia, unde maxime celebratur Confectio illa, Schocolada dicta, ex meris fere aromatibus conflata. *Has*, Glutinofiores scil. partes quod attinet, illæ ad imprægnationem nihil faciunt, sed vehiculum tantum sunt partium spirituosarum, quas ramulis suis & hamulis complectuntur firmiterque intra poros suos detinent, ne tam prompte avolent & evaporent.

§. 22.

Hactenus igitur de Semine Masculino, Principiorum hominis Uno egi; Nunc ad alterum me confero, *Semen* scil. *Fœmininum*. De hoc quid Antiquitas erronei protulerit, hic recensere super sedeo, ne Lectori Benevolo iis quæ commiseratione potius quam refutatione digna sunt, tædium creem. Paucis saltem excutiam opinionem de Sanguine Menstruo, quem plurimi Antiquorum Medicorum pro Semine Fœminarum prolifico habuerunt, ea seducti imaginaria experientia, quod ordinario illæ demum Puellæ puberes dicantur, & ad generationem eo tempore aptæ judicentur aut deprehendantur, quo menses ipsis fluere incipiunt; Secundo, quod facta conceptione, duranteque graviditate, Fœtusque in Utero Formatione & Nutritione Menstruus fluxus quoque cesset & supprimatur. Quod aliunde non fieri existimant, quam quod Sanguis Menstruus tunc temporis ceu Materia Generationis impendatur primum formando Fœtui, deinde eidem etiam nutriendo, quamdiu hæreat in Utero Matris. Verum si omnia hæc ad rectæ Rationis & veræ Experientiæ trutinam revocentur, tam parum probabilia sunt, ut iudicii veterum exinde defectum potius quam veritatem discere liceat. Nam quis credat primum, Deum O. M. Corporis humani utriusque  
sexus



sexus Architectum optimum & sapientissimum, Generisque  
humani per Generationem Individuorum Conservatorem  
Benignissimum, illas generandi leges constituere voluisse,  
ut in uno sexu, Masculino scil. materia seminalis prolifica  
providentissime conservetur in Usum Generationis à Deo  
O. M. ordinatum; In altero verò sexu, nimirum Fœmini-  
no, eadem liberalissime singulis mensibus excernatur & pro-  
fundatur? Cur non igitur & Sanguis Menstruus, si ve-  
rum & prolificum Semen Muliebre est, Antiquis ita volen-  
tibus, prompte asservatur & Usibus destinatis impenditur?  
Aut si ea est ex Instituto divino Natura Seminis Fœminini, ut  
singulis Mensibus excerni debeat tanquam humor abundans  
in Fœminis; Cur non itidem eadem lege in sexu Masculino  
Semen Masculinum singulis Mensibus excernitur, & Natu-  
ra ab hoc gravante pondere liberatur? Dicere cum Anti-  
quis, in Fœminis hoc fieri, quia earum Natura hoc requirat;  
In viris verò non fieri, quia Virorum alia sit Natura, ani-  
lem philosophationem arguit, quæ in scrutinio causarum  
Mechanicarum locum nullum invenit. Deinde si Condi-  
tiones & qualitates Sanguinis Menstrui consideramus atten-  
tius, nequaquam credibile est, Deum O. M. ex tam impuro  
Principio Seminali Homines generari & nasci voluisse, qua-  
le est Sanguis Menstruus Fœminarum, fœdo suo colore, odo-  
re, consistentia, & partium heterogeneitate mira, humoris  
inutilis & excrementitii naturam luculentissime referens  
& indicans. His addi potest quod Anatomicorum Excellen-  
tissimorum nostri temporis diligentia & perspicacitate lon-  
ge aliud, præstantius & purius Semen Fœmininum, cujus in-  
terventu & Conceptio & Augmentatio Fœtus absolvatur, in-  
ventum sit, atque detectum, uti ex sequentibus L. B. cogno-  
scere poterit.

Quod verò attinet Veterum in præced. §. jactatas Ex-  
 perientias, quibus sanguinem foemininum Menstruum Ea-  
 rum Semen prolificum esse, probare sustinent, illæ Mulier-  
 culis forte satisficient, non nisi à Sensibus externis suis in Ju-  
 diciis dependentibus, minime verò Rationalibus Medicis,  
 nexum inter effecta & eorum causas veras ad rectæ Rationis  
 trutinam seriò revocantibus & expendentibus. Quod enim  
 puberes & ad generationem aptæ demum illæ censeantur  
 esse puellæ, quibus Menses fluere incipiunt, inde ad creden-  
 dum minime induci debemus, quod, quia menses fluunt,  
 propterea sint ad generandi negotium aptæ, adeoque San-  
 guis Menstruus sit semen earum prolificum & materia Con-  
 ceptionis proxima. Verùm potius judicare debemus, Sangui-  
 nem Menstruum in Puellis circa annum 12. 13. usque ad 16.  
 erumpentem, signum tantum esse commune illius ætatis,  
 qua pori in partibus solidis, earumque innumeris tubulis &  
 canaliculis eam jam acceperint magnitudinem, figuram, &  
 situm, ut in Vasis Uterinis excrementitium in illis transmit-  
 tere possint Sanguinem Menstruum, in partibus verò geni-  
 talibus earunden admittere materiam Seminalem prolifi-  
 cam; Sic ut Mensium eruptio & Seminis Prolifici genera-  
 tio sint duo effecta diversa procedentia ab una eademque  
 Causa communi, scil. pororum certa dispositione quoad  
 Magnitudinem, figuram & situm, cadente in certam ætatem,  
 & quidem plerumque in annum 12. 13. 14. 15. vel 16. Quam-  
 vis Exempla dentur earum, in quibus Menses adhuc tardius  
 fluere incipiunt. In his enim Naturalibus Naturæ lusus est  
 frequentissimus. Patet itaque ex dictis, in Ratiocinio Vete-  
 rum Medicorum esse fallaciam causæ non causæ, cujus Ipsos  
 pudere omnino deberet, qui tantam Logicæ suæ in inveni-  
 endis

endis rerum veritatibus jactitant præstantiam. Idem lapsus  
judicij continetur quoque in altero argumento, quando ex  
eo, quod Conceptione facta, duranteque graviditate & Fœ-  
tus in Utero Nutritione Menses subsistunt, rursus inferunt,  
Menstruum Sanguinem debere esse semen prolificum Mu-  
liebre, materiamque tum Conceptionis, tum Formationis  
& Nutritionis Fœtus in Utero Matris. Hujus enim phæno-  
meni longe alia danda est ætiologia, magis rationalis & so-  
bria; Scilicet Fluxus Menstruus cessat in gravidis, quatenus  
Semen Masculinum in Uterum injectum & Sanguini Fœmi-  
nino per Uteri Membranas circulanti commixtum, natura-  
lem ejus motum tum progressivum tum intestinum suppri-  
mat & invertat, peregrinas in illo excitet fermentationes,  
propter specificum, qui per poros ejus cunctos fluit, æthe-  
rem, quique quoad figuram & motus determinationem di-  
screpat ab ætheris naturalis & inquilini totam Massam San-  
guineam Fœmininam transeuntis, singulasque ejus partes se-  
orsim moventis, figura & motus determinatione, unde mu-  
tua inter hos diversos ætheres lucta orta, priores secretiones  
& functiones Colatoriæ cessare coguntur, & per consequens  
Sanguinis excrementitii in vagina Uteri à reliquo bono se-  
questratio. Seminis autem Masculini portionem aliquam,  
re ipsa admisceri Sanguini Fœminæ, quæ concepit, talesque  
hinc oriri posse alterationes, satis arguunt horrenda illa sym-  
ptomata, quæ in Gravidis mulierculis primis à Conceptu tem-  
poribus observantur, ut sunt capitis dolores, Livor Oculo-  
rum, vomitus horrendi, Pallor faciei, inappetentia ciborum,  
Pica, malacia etc. Neque est quod dicant à diversarij, à pauca illa  
Semini masculini Sanguini Gravidæ admixti portione tanta  
non esse mala derivanda. Perpendant n. accuratius secum, u-  
num vel alterum Granum Opij assumptum etiam maxime

alacrem & robustum hominem, præprimis ejus usui non af-  
fuetum, in profundissimum conjicere somnum, & atten-  
dant deinde ad incredibilem Seminis masculini energiam &  
volatilitatem, & fore arbitror, ut præconceptæ Opinioni  
valedicant. Tandem quoque notent, quod bruta animalia,  
sola simia volentibus nonnullis excepta, nullum patiantur  
fluxum menstruum, nihilominus tamen concipiant, conce-  
ptum foetum nutriant, & tandem feliciter excludant. Imò  
observationes Medicorum testantur, Fœminas humanas  
nonnullas nunquam menstruas purgationes passas, multa  
Prole beatas & foecundas fuisse, quod certe contingere non  
posset, si sanguis menstruus Fœminarum Verum esset Semen  
prolificum, quo Illæ tunc destitutæ fuissent, & sic ad procre-  
andos liberos prorsus inidoneæ extitissent.

§. 24.

Missa itaque Sententia Veterum, Sanguinem Menstruum  
pro semine Muliebri falso, uti modo demonstratum fuit,  
agnoscentium, meam hac de re Sententiam Rationi & Ex-  
perientia Anatomica magis convenientem nunc profer-  
re animus est. Ut autem Seminis Fœminini Indoles eo  
melius cognoscatur, paucis prius considerabo Ejus locum  
natalem, Testes nimirum duos Muliebres, intra abdomen  
sitos in utroque latere scil. unum, duobus vel tribus circi-  
ter digitis transversis ab Utero distantes, cui per Membra-  
nosa ligamenta lata connectuntur. Habent similiter sua  
vasa Adferentia & Revehentia. *Adferentia* sunt primò Ar-  
teria duæ spermatica dictæ, similem originem habentes ac  
in Maribus; Dein Nervi, nutrimentum & vigorem illis sup-  
peditantes. *Revehentia* sunt Venæ duæ spermatica, Vasa  
Lymphatica, & Tubæ Fallopianæ. *Istæ* sanguinem residu-  
um à nutritione reducunt ad Cor simili modo, quo id fit in  
Maribus

Maribus. *Ille copiosissima traduntur ab Antonio Nück Adenograph. Curios. Cap. VII. prodire ex Testibus & tenue superfluum ex illis recipere. Per has vero Ova deferuntur imprægnata ad Uterum, probante id Regnero de Graef Tractat. de Organ. Mulier. genital. Cap. XIV. In his Testibus Semen aliquod fluidum secerni Vulgaris antiquorum tulit Opinio. Quam tamen simul & semel evertit modo citatus Ingeniosissimus Regnerus de Graef, longeque aliam eorum substantiam esse demonstravit & distinctam à substantia Testium Marium. At quemadmodum dulciores ex ipso fonte bibuntur aquæ, hinc verba Ipsius propria referam, ut, quæ in Testibus Mulierum observanda sunt, intelligantur clarius, ita autem inquit Tractat. citat. Cap. XII. p. m. 157. & seqq. Componitur autem interna eorum (scil. Testium Fœmellarum) substantia ex multis præcipue membranis ac fibrillis laxè sibi invicem unitis, in cujus intercapedine plurima reperiuntur Corpora, quæ ipsi aut secundum, aut præter naturam insunt. Quæ semper secundum naturam in Membranosa Testicularum Substantia jam descripta reperiuntur, sunt vesiculæ Liquore plenæ, Nervi & preparantia Vasa, quæ eodem fere modo ac in Viris ad Testes excurrunt, & totam eorum Substantiam perreptant, ac subeunt. &c. Quæ vero, pergit, secundum naturam aliquando tantum in mulierum testibus inveniuntur; Sunt globi, qui glandularum conglomeratarum ad instar ex multis particulis à Centro ad circumferentiam recto quasi ductu tendentibus conflantur, & propria Membrana obvolvuntur. Hos globos non omni tempore in fœmellarum testibus existere dicimus; Quia post coitum tantum in illis deteguntur, unus aut plures, prout animal ex illo congressu unum aut plures fœtus in lucem edet. &c. Quæ deniq; præter naturam in mulierum testibus quandoq; observantur; Sunt Hydatides, lapilli, steatomata, aliq; similia.*

§. 25.

Ex his patet Testes muliebres vera esse Ovaria, plurimaque ovula sub specie Vesicularum liquore limpido plenarum continere, plus minusve matura. In his ovulis delineatus est totus homo ruditer, observante hoc *Perpeticissimo Löwenhoekio* ope accuratiorum Microscopiorum & confirmantibus variis id experimentis. Non aliter ac se res habet in vegetabilibus & reliquis animalibus. Quid enim Vegetabilium Seminum germina aliud sunt, quam futuræ plantæ stamina prima delineata? Prout hoc prolixius ostendunt *Malpighius Anatom. Plantar. part. II. de Semin. Vegetab. § David van der Beeke L. C. p. m. 315. § seqq.* De ovis animalium id adhuc clarius patet, & quidem in Ovis gallinaceis accurate lustravit & delineavit *Cicatriculam* Idem *Malpighius Dissertat. de Format. Pull. in Ovo, & ante Ihum Harveus in Exercitat. de Generat. Animal.* De Ovis Cochlearum simile legere est in Epistolis hac de Materia *Antonii Felicis Abbatis Marsil. ad Malpigh. § J. J. Harderi ad Predict. Abbatem § L. Schröckium* datis. Conveniunt itaq; omnia Ova tum vegetabilium, tum Oviparorum, tum viviparorum, quod in illis delineatus sit totus futurus Fœtus, alimentumque ipsi circumpositum sit in uno quidem plus, in altero minus, hoc in ovis vegetabilium & viviparorum, illud verò in oviparis locum habente. Sed quemadmodum Semen Masculinum in Negotio Generationis sese habet instar *Principii Formalis Actuantis*, ita Fœmininum est merè *Materiale*. Hoc cum ideis suis statim congenitum, est ab initio Homini, crescitque cum partibus cæteris; Illud post aliquot demum ab exclusionem annos generatur.

§. 26.

Nullum itaque concipimus Seminis Masculini & Fœminini *Coagulum*, ex quo Homo oriatur, cum Ejus nullum  
in

in dissectionum à conceptu animalium uteris inveniatur. Longe potius alia magisque mechanica hujus Negotii requiritur explicatio. Quam primum nempe Semen Masculinum in Fœcundum Naturæ Agrum seu Uterum injectum fuit, mox in Eo mutationem subit, dum nimirum Æther subtilis seu materia Primi Elementi à partibus circumjacentibus vasculosis, calidum sanguinem continentibus, in illud fluens, maximoque impetu poros ejus trajiciens, partes spirituosas volatiles salinas, jamdum ad motum avolatorium paratas ejusque impetui omnium minime resistentes à consortio partium ramosarum & hamosarum liberat, liberatas in altum evehit. Quæ Aura Seminis Masculini maxime Energetica per Tubas Fallopianas Uteri, tunc temporis pariter inflatas ascendit ad Ovaria, vel ambo, vel eorum alterutrum. Postquam vero illuc pervenit, membranam Ovaria investientem porosam transiens, modo unum modo plura subit Ova, eaque imprægnat, crassiore Seminis parte, partium spirituosarum Vehiculo, tanquam plane inepta, rursus effluente ex Utero. Fit autem hæc Ovi Imprægnatio & à cæterorum consortio & racemosis amplexibus separatio, quatenus Aura illa seminalis masculina spirituosa, subtilis, simulque maxime mobilis & Efficax summa elasticitate prædita est, unde humori intra Ovum contento admixta, illum spumescere facit, & in lenem quasi fermentationem excitat, partiumque stamina dilatat, explicat, extendit, ipsumque Ovum sic augeatur & incrementum capit quoad trinam suam in longum, latum & profundum dimensionem, quapropter, cum in spatio ante imprægnationem sibi adæquato contineri amplius nequeat, dirumpere necessario debet Membranam, totum Ovarium investientem, seque à cæterorum contactu & amplexu, qui ope fibrillarum confirmabatur,

E

libe-

liberat, sicque ad introitum in Tubam Fallopiam disponitur. Sed cum Tubæ Fallopiæ immediate non contingant Ovaria, hæc autem unicæ sint viæ, per quas defertur Ovum ad Uterum, ansam arripuerunt nonnulli dubitandi de hoc Tubarum officio, sed ex accuratiori inspectione harum tubarum liquet, illas desinere in *simbrias* quasdam *Carnosas*, quæ amplexibus suis totum Ovarium circumvolvunt, non aliter ac vites palos suos circumdare solent; Dum igitur hæc eodem tempore simul à torrente spirituum animalium inflantur & contrahuntur, Ovarium quoque simul comprimere debent, quo facto Ovum ab aliis jam separatū per foramen, quod sibi patefecerat, exprimitur & in Tubam Fallopiam Uteri intrudetur patulam, & hujus motu Peristaltico ad Uterum devolvetur. Quæ omnia maximam lucem accipiunt ab Observatione valde rara in Cane Fœmella, quam *Nobilissimus Dominus Præses*, postquam conceperat, plurimis Auditoribus præsentibus ante duos annos eum in finem secuit, ut modum Conceptionis & Generationis, antea in Lectionibus suis clarissime explicatum in ipso quoque Libro Naturæ demonstraret. Ubi in Ejus Ovariis aliqui Folliculi membranosi vel glandulosi §. 24. verbis ex *Graefio* desumptis descripti observabantur, ex quibus Ovula jam erant egressa. Dein aliqua Ovula imprægnata superficie Ovariorum adhuc adhærebant. Tertio Tubæ Fallopiæ seu Cornua manifeste aperta curioso cernebantur spectaculo, ita ut majorem calamum scriptorium admitterent, eisq; adhærebat Ovulum, simile prorsus quoad omnes proprietates illis, quæ Ovario affixa fuisse diximus. Quarto intra Tubas aliquot Ovula simillima prioribus cernebantur contineri.

§. 27.

Ovum verò sic ad Uterum delatum ibidem fovetur, nutri-



tritum, augetur tum à proprio suo succo, quem in se continet, tum etiam à succis nutritiis à matre suppeditatis. Quo pacto verò singulæ Fœtus partes formentur, quoque ordine hujus loci non est prolixius describere. Præprimis cum omnes partes simul delineatæ sint in Ovo, & propterea simul etiam omnes formentur & augeantur, ita tamen ut hæ citius, hæ verò tardius in conspectum prodeant. Consulantur quoque *Malpighius Tractat. de Format. Pull. in Ovo* & sæpius citatus *Harveus*. Analogam enim esse humani fœtus formationem formationi pulli, rite observatis circumstantiis, credo. Videatur etiam *Renati des Cartes Tractat. de Format. Fœtus*. Valeat interim *Distinctio Partium in Spermaticas & Sanguineas antiquorum*, qua volebant partes alias ex semine Masculino, & alias ex sanguine fœmellarum formari. Nacta interim legitima formatione, exitum parat Fœtus ex ergastulo Uteri, calcitrando propter humorum acrimoniam, unde Membræ circumdantes rumpuntur, placenta Uterina ab utero separatur, humor cui innatarat Fœtus, effluit residuus, viasque lubricando & lævigando exitum fœtus mox subsequiturum faciliat, ipseq; Fœtus non sine laboribus in lucem prodit, quem mox subsequuntur Membræ & Placenta Uterina, secundinarum nomine venientes. Postea fluunt per aliquos à partu dies Lochia, suum ortum debentia aperturis vasorum Uterinorum, quæ vasa antea tempore graviditatis sanguinem effundebant in Placentam Uterinam, post separationem autem Placentæ Uterinæ ab Utero tam cito consolidari nequeunt, quod tamen fit præterfluxis aliquot diebus, cessantibus tunc lochiis, Uteroque cum reliquis visceribus in nativum recedente locum & situm.

§. 28.

Naturalem huc usque modum, quo Generatio hominis

E 2

nis

nis mechanice procedit, explicavi prolixius. Quod quidem à B. L. mihi haud vitio datum iri spero. Hanc ipsam enim si neglexissem pertractationem, modum, quo præternaturaliter Monstrosus Abortus noster generatus est, nec ego clarum tradere potuissem, nec B. L. clare & distincte eum percepisset, hac in parte etiam Ipso Galeno non errante, dum dicit, *feri non posse, ut qui id, quod secundum naturam sit, non norit, dignoscere id, quod præter naturam sit, possit.* In dandis autem causis Generationis nostri Abortus Monstrosi quisque condonabit mihi mentem à veterum præjudiciis purificatam possidens, quod hic veterum, qui de monstris eorumq; causis scripserunt, opinionibus non acquiescens, aliis mea inædificem ratiocinia fundamentis, quam quidem *Licetus in suo Tractat. de Monstr. Lib. II.* & *Cassarius Schottus in Physic. Curios. Lib. V. Part. II.* habent, recurrentes ad materiæ Seminalis excessum vel defectum, aliasque rationes Chimæricas, præsupponentes Coagulum Seminis Maculini & Fœminini in Utero, in antecedentibus à me refutatam. Paradoxum ideo non erit, si statuam, nostrum Monstrosum Abortum Dessaviensem Fœtum duplicem & à se invicem distinctum fuisse, verosque Gemellos, ob causas postea memorandas, coadunatos. Cujus mei asserti veritas patebit, si modum, quo Gemelli generari solent, explicem.

§. 29.

Quemadmodum itaque Experientia nos docet, unum granum frumenti ordinario sufficere uni producendæ aristæ, unum Nucleum Cerasi, sive Pruni, sive similis fructus originem dare uni tantum arbori. Quemadmodum quoque in ovis pennatorum plerumque Unius tantum fœtus stammina delitescunt, simplexq; tandem foru incubantis excluditur; Ita certe se similiter rem habere in Ovis Muliebribus

bribus humanis inficiari nemo potest. Qua propter, dum generantur gemelli, duo quoque Ova imprægnata & ad Uterum dalapsa, propriis suis Membranis inclusa, nutrita fuisse statuendum est. Hæcquæ erit prima Gemellorum generationis ratio. Jam autem nullo negotio contingere potest, si uterus debitam recipiendis duobus fœtibus amplitudinem non obtineat, sive id sit à natura, sive à viscerum illum circumstantium magnitudine præternaturali, hincquæ facta Ejus compressione, sive ab abdominis constrictione arcta, quam Mulierculæ fasciis suis causantur, sive à magni ponderis elevatione, aliisque gravioribus laboribus, ictu, lapsu, contusione, ut Membranæ antea singula hæc ova naturaliter à se distinguentes rumpantur, sicque, hisce quasi parietibus intergerinis destructis, fœtus hi duo propius sibi invicem admoti, mutuoque & immediato contactu sese contingentes concrecant, copulentur & firmissimo quasi glutine conglutinentur, unde illa Monstra ortum suum trahent, quæ *duplicia* vocantur, quæque observantur vel in Capitis anteriori vel posteriori parte, vel dorsis, vel thorace, vel abdomine, vel utroque ventre simul conjuncta deprehenduntur. Quod ultimum cum in nostro Monstruoso Abortu locum habuerit, similem Ejus causam fuisse sustineo.

§. 30.

Datur denique adhuc Gemellorum Origo, à paucis adhuc observata, quæ clarius intelligetur, si ad ea quæ passim de *Ovis Gemellificis* referuntur, diligentius attendamus. Prodeat itaque Primus in scenam *Guilielmus Harveus*, splendidissimum illud Medicinæ solidioris Lumen. In *Hujus Lib. de Generat. Animal. Exercitat. 12. p. m. §2. & Exercitat. 23.* mentionem fieri deprehendo illorum Ovorum, quæ duplici Vitello, duplici Cicatricula, reliquisque partibus duplicibus con-

E 3

stant.

stant. Sifat se secundus *Marcellus Malpighius*, cujus Fama ob stupenda sua inventa gloriam immortalem nacta est, qui Horum ovorum Gemellificorum existentiam confirmat in *Tractat. de Format. Pull. in ovo*, dum sub initio fere ita inquit: *Hæc itaq;* (scil. cicatricula) *in fœcundo ovo perpetuo observatur arcte vitelli Membrana adbarere inter Galazas; & albumine cooperitur: Multiplicatisq;* vitellis (ut videre potuit) *eadem cicatricula multiplicatur, unde frequenter in Unico Ovo tres deprehendi Cicatriculas.* Ex his Ovis, duplices habentibus Cicatriculas, uti raro duo fœtus pulli distincti & vivi excluduntur, ita plerumque observantur monstrose conjuncti. Cujus rei ratio est spatii nimia angustia, ut fœtus hi duo in Ovo uno contenti, distinctisque Amniis suis inclusi jam ad se invicem urgeantur. Si igitur rata & firma est illa Analogia, quæ quoad principaliora inter Ova animalium reliquorum & Humana intercedit, incongruum non erit statuere, quod Gemelli Humani quoque generentur quandoq; ex Ovo Penatorum gemellificis simili, i. e. duabus Cicatriculis, prima stamina duplicis hominis distincta in se continentibus, gaudente, si nimirum sufficiens loci angustia sinat hunc duplicem fœtum distinctis suis amniis inclusum. Verum enim verò dum Fœtus hi duo incrementum capiunt, & uterus à causis præced. §. enarratis comprimatur, sicque ovum hoc Gemellificum coarctet & premat, fieri non potest, quin hi Gemelli antea per suas membranas à se invicem distincti, jam ad mutuam disponantur imò urgeantur quacumque demum id fiat in partium corporis regione, & sic generentur *Monstra duplicia*, quale noster Abortus est.

§. 31.

Duæ autem hæ Generationis *Abortus Monstrofi* causæ jam jam enarratæ locum habere non nisi possunt & potuerunt  
primo

primo formationis tempore, quo ossa adhuc Membranosa sunt consistentia, impetusque humorum non adeo constans & validus, ut & omnia Viscera perfectam suam nondum nata sunt conformationem. Quo tempore omnes mutationes in foetu tantum fieri possunt.

§. 32.

Liquet denique ex his quantis difficultatibus *sententia de pluralitate partium in foetu prater naturam* laboret, quam David van der Beeke L. C. Lib. II. p. m. 298. his proponit verbis: *In Conceptione Foetus masculinum Semen confusum alioquin à foeminino semine tanquam regula in ordinem reduci debet; ita ut idea capitis seminis Masculini applicetur Idea capitis foeminini Seminis, brachia brachiis, crura pedesq; cruribus pedibusq;.* Quod si ergo contigerit, *Ideam v. gr. Capitis Masculini Seminis non rite applicari Ideam Capitis Foeminini Seminis, aut in partem aliquam dextram vel sinistram declinare, fit ut bina capita humeris extantia cernamus. Aut amborum Seminum Jdeis Cruralibus haud justo sibi invicem applicatis, quaterna crura prodeant.* Ita enim, quae conjunctae particulares *Idea Unicam partem saltem formare debuissent, nunc divisa, singulae explicatur numerusq; partium augetur.* Nititur enim haec sententia fundamento illo labili & à me in antecedentibus jamdum destructo, quod nimirum in semine Masculino foetus Masculinus delineatus sit, in foeminino vero foemininus. Assumit Ingeniosus alioquin Author tanquam verum, quod erat adhuc demonstrandum solidioribus argumentis. Quam ob causam oleum & Operam perderem, si vel unicum adhuc verbum ad refutandam hanc sententiam proferrem.

§. 33.

Multi sunt qui Imaginationis Maternae vires hic quoque aliquid valere autumant. Quod quidem agre concipere

pere valeo, etsi planè negare nolim efficaciam & vim Imaginationis Matris in Foetum, quia omnia exempla, quæ hactenus observata fuerunt ab Imaginatione Materna oriri, nihil magis probant, quam aliquam tantummodo Mutationem, in externo Corporis foetus habitu. Uxorem cujusdam Servi Aulici gravidam theatrum Agyrtæ praterentem ex conspectu membranæ Herniosæ excissæ stupa infarctæ, quam Ipse Agyrta ostendebat, ita perterritam fuisse, ut ediderit postea foetum ex cujus abdomine omnia viscera prolapsa erant instar Herniæ Umbilicalis Majoris, Dessaviæ compertum habeo. Item Chirurghi Cujusdam Dessaviensis Uxorem similem ferè enixam fuisse foetum, postquam non sine terrore priorem historiam audivisset narratam à Parente suo pariter Chirurgo haud Ignoto, ad medelam Priori infanti adferendam advocato, scio. In ædibus nostris Dessaviæ quoquè vidi alius Servi Aulici uxorem gravidam ex conspectu Gallopavi, qui sibi offerebatur jugulandus, ita cōsternatā, ut postea pepererit puellam adhuc vivam & sanam, cujus mala sinistra deturpata est multis excrecentiis instar Vesicularum rubicundarum, quibus ordinario conspiciuntur conspersa esse Gallopavorum colla. Ut innumera alia exempla taceam quæ legi possunt *apud Thomam Fienum in Tractat. de virib. Imaginat. & Martinum Schockium in Disquisit. Physic. de Signatur. Foetus.* Quid quod ipsa *Sacra Scriptura* nobis exemplum dat de *Jacobo*, Socerum suum *Labanum* fallente, quando appositis variis virgis pro lubitu efficiebat ut oves foetus ederent, ejus, quem desiderasset coloris. *Genes. Cap. 30. vers. 37. & seqq.*

§. 34.

Qua autem ratione Imago id efficere possit à nemine hactenus, quantum scio, explicatum est clare. Supra citatus

*Fienus*

*Fienus* etsi in hujus rei causis inquirendis multum præstiterit, plura tamen ab illo adhuc desiderantur, ut & omnes alii qui aliquid de hoc phænomeno ratiocinati sunt, nihil ferè præstiterunt. Quo igitur in tam ardua re aliquid, idque generalius, proferam, notandum primo, DEUM unionem Substantiarum natura sua & Essentia à se invicem distinctarum, alterius Cogitantis, alterius verò Extensæ, Mentis puta & Corporis volentem, hanc posuisse inviolabilem legem, ut certis subortis in Mente cogitationibus certi sequantur in corpore motus & alterationes; & vice versa, positis in Corpore certis motibus & alterationibus, certæ oriatur in mente cogitationes. Sed uti Mens in omnibus corporis partibus factas impressiones proximè & immediate percipere non potest, ita certam tantum Ejus partem inhabitare debuit, in qua tanquam in Centro omnes externæ impressiones concurrant, unitæque menti repræsententur, quam commodiorem nemo hæcenus invenit, quam *Glandulam Exiguam*, à figura *Pinealem* dictam, quæ in confinio & medio quatuor Ventriculorum Cerebri suspensa est, respiciens principia nervorum sensui & motui voluntario inservientium. Quod autem hæc Glandula Immediata sit Animæ sedes, plurimis argumentis à situ Ejus & aliunde petitis probatur, quæ brevitate studio hic prætereo, L. B. sciendi Cupidum remittens ad *Ludovici de La Forge Not. in Cartes. Tractat. de Hom. Part. V. artic. 63. Ejusdem Tractat. de Mente human. cap. XV. & Nobiliss. DN. Præsid. Disputat. de Union. Ment. cum Corp.* Sed quæ ratione Mens in Glandula Pineali residens in Corpus subiectum agere & ab illo pati queat, manifestum fiet, considerando *Nervos & spiritus animales*. Illi, multis constantes filamentis sibi invicem appositis & spatia juxta se relinquentibus cava pro transitu spirit. animal. & obductis membrana tenuis-

F

lima



fima à *Pia Matre* Cerebri oriūda, vasa sunt, per quæ spiritus Animales, ut Sanguis in arteriis & venis, lymphæ in vasis lymphaticis, ad omnes partes fluunt. *Hi* verò sunt fluidissimi, subtilissimi, mobilissimi, naturæ Salino Volatilis spirituosæ, à sanguine Arterioso in Glandulis Cerebri secreti, quibus Mens ceu fidelibus suis Ministris utitur, determinando illos ad varias partes. Præterea quoque Horum spirituum maxima ad nutritionem est necessitas, Humores enim Nutritii vix ad partes nutriendas pervenire possent propter Oleaginosam suam & ramosam substantiam, qua facile hærent in angustiis tubulorum, obstruendo illas nisi spiritibus animalibus ceu stimulis irrorati ad hoc aptiores fierent, docente id *Cloptone, Havers in Osteolog. nov. p. m. 139. 140. & seq.*

§. 35.

Sequitur hinc succos nutritios, qui à Matre ad Foetum in utero delitescentem ope Vasorum Umbilicalium amandantur, his spiritibus animalibus quoque imprægnatos esse debere, secus enim per mæandros Hepatis uterini tam vegete & prompte fluere non possent, multo minus per corpus Embryonis circulantes illud vivificare. Si igitur Phantasiæ Maternæ tempore gravitatis aliquid insolitum & inopinatum occurrat, ejusque species certo & speciali motu spirituum animalium sustentetur, roboretur & confirmetur, sic spiritus certam tandem & constantem nanciscuntur determinationem, quam diu & pertinacissime servant. Et sicuti tunc ad omnes corporis partes fluunt, ita quoque ad foetum Utero inclusum perveniunt cum succis nutritiis, in cujus Corpore cum tubuli adhuc sint molles & flexiles, facile nonnullarum partium figuram motu suo specifico, quo à Matris Phantasia determinati erant, mutare possunt, aliamque illis imprimere

re



re faciem. Hæc tamen Explicatio longe Generalior est, quam ut sufficiat ad explicandum hocce Naturæ Mysterium. Si verò meliora huc facientia quis habuerit, a vide Ejus expecto Informationem: Præprimis cum prolxiorem pertractationem Ejus chartarum angustia non permittat.

§. 36.

Denique cum Disputatio hæc Præsens *Abortus Monstrosi* titulum præ se ferat, erat enim revera abortus vix quinque mensium, pauca quædam de Abortus causis edisserendum est. Inter Illas autem primo refertur Matris *Plethora*, hinc enim vasa uteri distenduntur, foetusque nimium comprimitur & urgetur, tandemque exprimitur. Hinc *Excellentiss. Waldschmid Institut. Medic. Rational. Lib. IV. Cap. III.* recte jubet talibus Gravidis venam secare & *Henricus ab Heers Observat. Medic. XIV.* testatur se præservasse uxorem alias quotannis abortire solitam ter toto gestationis tempore sectâ Venâ. Secunda causa Abortus potest è contrario esse *venæ Sectio* secundum *Hippocratem Aphorismorum Sect. V. Aph. XXXI.* dum per interpretem dicit: *Mulier in utero gerens sectâ Venâ abortit: Et magis si major fuerit foetus.* Quippe si hæc injusto tempore & nimis largiter instituat, foetus languescit corpus, & tandem emoritur. Observationem lege sis in *Jobann: Dolei Epist. II. ad D. Waldschmid:* Tertia potest esse *motus Corporis vehemens, ictus, compressio, lapsus, contusio*, quatenus his sanguis in impetuosum conjicitur motum, & omnes corporis partes concutiuntur, unde placenta uterina ab utero separari potest, aut ipsa vasa Umbilicalia rumpi, foetusque ejici. Quarta Causa est *vehementiorum Animi Pathematum irregularis impetus*, quo naturalis Humorum Crasis destruitur, spiritus animales in suo motu regulari turbantur impetuoseque moventur, unde magnas alterationes foetus

tum subire debere manifestum est. Passiones enim Animæ maxime alterare posse Corpꝰ latius vide sis in *Cartes. Tractat. de Passion. Anim. Part. II. & III.* Quintam causam constituunt *Omnia remedia spirituosæ acria, ut & album de jicientia vehementer.* His enim ultimis gravitatis mensibus adhibitis humorum impetus augetur, omniaque viscera spasmodicis motibus convelluntur. Confirmante hanc causam *Hippocrate sect. V. Aphorism. XXXIV. & sect. VII. Aphorism. XXVI.* Sexta causa possunt esse *Menses vitiose fluentes*, quatenus vel Placentam Uterinam solvunt & separant ab Utero, vel debitum sic subtrahitur foetui alimentum. Septima denique est Foetus ingenti mole præditi gravitas. Hac enim separatur facile ab Utero & ad egressum pronus est. Plura de his videantur in practicoꝝ libris, velle enim Disputationis meæ hic contraho. DEO interim Triuni, in Cujus nomine opus hoc inchoaveram, humillimas ago gratias pro clementer concessio auxilio, illumque devotis & ardentibus imploro precibus, velit ulterius studia mea secundare, illaque dirigere in Sancti Sui Nominis Gloriam, Mei Meorumque & Proximi salutem & gaudium. Tu verò B. L. ea quæ scripsi æquo tuo judicio perpendas, bonique consulas, quod Juvenis liberius & propriis verbis de Generationis mysterio locutus sim, cum Castis enim mihi res est, quibus omnia casta. Faveas conatibus meis Juvenilibus, illisque optes ut contingat felix.


F I N I S.

HISTO-



HISTORIA PHILOSOPHICO-MEDICA  
VITVLI ALICVJVS HYDRO-  
CEPHALICI,

I N  
VICINO PAGO NATI, ET PRO MONSTROSO  
FALSO HABITI.

 *Admirationem* gignere Philosophiã recte pronũ-  
ciarunt Sapientes. Admirationis enim Mater est  
rei Novitas & Raritas. Res autem rara & nova  
est objectũ Philosophiæ: Quando enim res jã est  
trita & domestica, Sciẽtiã Philosophicã apliõ in nobis gigne-  
re nõ potest. Duo autẽ sunt genera hominum, qui res, raras &  
novas maxime admirantur, Homines scil. valde docti, & Ho-  
mines maxime indocti. Scioli enim & Semidocti sunt bo-  
ni homines, qui plus in ore habent, quam in mente, magisq;  
æstimant pinguem culinam, quam sobria philosophemata.  
Homines vero valde docti plerumque magis admirantur res  
raras, inusitatas, & novas, quia non illarum corticem tantum  
lambunt, sed altius penetrant, in illisque eas observant &  
deprehendunt realitates intrinsecas, quas videre & percipe-  
re nequeunt semi docti. Homines valde indocti res quoq;  
novas, raras & inusitatas vehementius admirari solent, quia  
omni meliori scientia destituti videntur sibi plures realita-  
tes in illis rebus percipere, quam quidem revera possident;  
Adeoque statim pro rebus maxime novis raris & inusitatis  
habent, quæ reipsa tales non sunt, sed tantum in illorum o-  
culistales apparent. Hoc variis illustrari & confirmari  
E 3 posset

posset exemplis & testimoniis, si operæ pretium valeret, & scripti hujus angustia id concederet. Ex multis hoc unicum sufficiat, petatum ab ornato Muliebri Gallis *Fantange* dicto, quo hisce nostris temporibus sequior sexus caput exornare solet. Quantam enim admirationem, imò etiam detestationem hicce sua novitate in oculis & mentibus plebejorum excitaverit, quis nescit? Cum autem Natura (liceat mihi cum vulgo ita loqui, & interea sentire cum doctis) in configuratione & connexionem partium variarum in Corporibus naturalibus admodum ludere soleat, superstitiosa & male fundata admiratio plures homines credulos eousque seduxit, ut etiam in vegetabilibus æque ac animalibus similem, ornatum Muliebrem prodigiose productum haud semel fuisse crediderint. Sic in rapis, pyris, prunis, pomis, similibusque fructibus, si nugarum venalium & nundinalium declamatoribus in foro publico prostantibus fides adhibenda, similis aliquando Ornatus muliebris prodigiose conspectus fuit. Ex pane in clibano cocto faciem muliebrem simili ornato instructam prodiisse & conspectam fuisse literæ ad *Nobiliss. DN. Præsidentem*, ab Amico quodam ante octiduum missæ fidem facere voluerunt. Porcellos, agnos, vitulos, similem ornatum in Capite prodigiose gestantes depictos quidem in nugis venalibus & novellis nundinalibus vidimus, natos verò unquam fuisse, à nullo fide digno homine audivimus. Ne verò multis exemplis incertis hujus superstitiosæ admirationis possessores adoriar atque confundam, lubet tantum hac vice ea in medium proferre, quæ vel in nostra Urbe, vel in locis vicinis haud ita pridem acciderunt. Quis nescit quantum strepitum excitaverint duo pyra in suburbio ante aliquod tempus inventa? Nonne plebs ignara & superstitiosa in iis cernebat, & digitis fere indicare sciebat muliebrem hunc

hunc Ornatum, cuius ne vestigium quidem deprehendebant  
lyncei Eruditorum Oculi? Quem fugit, quantam admirati-  
onem, quantumque rumorem in rure & urbe nostra excita-  
verit *vitulus*, paucis abhinc hebdomatibus in pago vicino e-  
ditus? Omnes qui viderant hunc vitulum plebeji & ignari  
homines, in ejus Capite simile quid ornatui Muliebri *Fan-  
tange* dicto sese vidisse judicabant. Suspiria, lacrymas & pre-  
ces plures ex eorum extorserat oculis & animis mutus &  
mortuus hicce vitulus, falso pro Prodigiolo habitus, quam  
concio Sacra. Sed mox superstitiosa hæc supprimebatur &  
evanescebat Admiratio plebis, quando Patronorum quo-  
rundam de re literaria maxime meritorum favore & indul-  
tu hic *Vitulus* pro *Monstroso & Prodigiolo falso habitus* ad se-  
candum *Nobilissimo Dno. Prasidi* concedebatur. Ostendit e-  
nim clarissime Studiosis plurimis presentibus, hunc vitulum  
minime Monstrosum esse, nec Ornatum Muliebrem Gallis  
*Fantange* dictum in Capite prodigiolo productum habere,  
uti ignara & superstitiosa plebs divulgaverat. Sed illum so-  
lummodo *Hydrocephalo* seu Hydrope Capitis in Utero con-  
tracto laborare. Quippe nihil in soliti in hoc vitulo oc-  
currebat, nisi quod Ossa Bregmatis, Frontis, & Occipitis ad-  
modum diducta essent & ab invicem divulsa, suturis Coro-  
nali, Sagittali & Lambdoidea ita dilatatis, ut manum trans-  
versam facile admitterent. Unde etiam necessario Cutis  
externa valde dilatari & expandi debuit. Aperto Capite, ne  
vestigium quidem Cerebri apparebat, sed tota interior Cra-  
nii cavitas vacua erat, omni que sensibili Corpore destituta,  
manifesto argumento & indicio, Cerebrum totum in aquã  
debuisse conversum fuisse, quæ deinceps per varias fissuras &  
rupturas multa contrectatione in Caput introductas, efflu-  
xerit, adeoq; hunc *Vitulum* non nisi *Hydrocephalicum* fuisse.  
Unde

Unde autem *Hydrocephalus*, seu *Hydrops Capitis* in Animalibus non minus quam hominibus & præprimis infantibus, tum in ipso Utero, experientia teste, adhuc hærentibus, tum mox post partum eorum oriatur, uti *Nobilissimus DN. PRÆSES* in Belgio vidit Infantem Hydrocephalicum 33. hebdomatum ætatis prægrandi Capite instructum, & hic Servestæ alium 14. septimanarum non minus præternaturalem magnitudinem possidenti capite instructum, Felicissimum nostrum demum detexit Seculum. Hoc enim præprimis præter alia egregia inventa anatomica, in Scenam quoque protulit Ferulissimum illum Glandularum totius Corporis agrum, quarum intima structura legitimusque usus tam manifestus est, ut dubium nullum superesse possit omnia secum probe pensitanti. Sunt nimirum glandulae omnes nihil aliud quam tubulorum certorum, vasorumque tum adferentium tum deferentium merus contextus, vi cuius structuræ mechanicæ certos quosdam à Massa Sanguinea secernunt humores & lympham. Vix autem ulla est Corporis pars, in quo non ejusmodi reperiantur glandulae, suis ductibus excretoriis præditæ, quibus mediantibus lymphæ secreta revehitur vel in publicum vel in privatum usum impendenda. Præprimis autem Caput eis numerosissimis refertum est, aliis externam partem ejus scil. Cutem, aliis internam, scil. Cerebrum & Membranas occupantibus. Utræque id cum reliquis omnibus in aliis Corporis partibus sitis commune habent, ut à sanguine allabente secernant certas partes lymphaticas easque postmodum ad majores truncos deponant per vasa Excretoria. Insimulque iisdem subjectæ sunt incommodis & morbis, obstructionibus nimirum, dilacerationibus & similibus. Si igitur in infantum vel intra vel extra Uterum commorantium Capitibus contingat, ut vel ob irregularem foetus si-

tum,

tum, vel vitiosam Matris Diætam, vel frigus externum, vel obstetricum imprudentium compressionem in Capite fœtus partus tempore egredi laborantis factam, vel pravam victus rationem, glandulæ antea memoratæ cum ductibus excretoriis obstruantur, viscida & glutinosa pituita infarciuntur, lymphæ circulus præpedietur, & in tubulis glandularum stagnabit, hos ipsos distēdet, inflabit & sic præternaturaliter intumescent glandulæ, donec tandem vel ob ipsam lymphæ stagnantis acredinem corrosivam, vel nimiam pressionem à continuo subsequente & urgente alia lymphæ, ipsa vasa rumpantur & lymphæ in proximas effundatur cavitates, *Hydrops erit Capitis*, majorem vel minorem conjunctum sibi habens Capitis tumorem, prout plures vel pauciores glandulæ obstructæ fuerint. Ex quo unico itaque explicato phænomeno per naturales suas causas refelluntur cunctæ aliæ, quæ de his & similibus casibus circumferuntur, fabulæ, originem suam habentes ex relatione Ignarorum hominum, & verè plebejorum, non verò Rationalium & Philosophorum, omnes res ex fundamentis sanæ rationis explicanti-  
um. Quod cum & in præsentiarum me præstitisse persuasus sim, tuum, B. L. erit æqui bonique illud accipere.



C O R O L L A R I A.

L.

**P**assiones Animæ ex Unione Corporis & Mentis resultant, omnemq; cum Sensibus absolvunt humanitatem.

2. Falsum itaq; & ridiculum est quod nonnulli de se jactitant, dum ab omnibus passionibus se liberos prorsus esse, aliis persuadere cupiunt.

G

3. Passio-

3. Passiones ex ordine Naturæ injuste & absurde dicuntur malæ, sed sunt potius bonæ.

4. Ex ordine verò Morum neq; bonæ neq; malæ haberi poterunt, sed adiaphoræ.

5. Ex passionibus agere non est virtuosum, a deoq; toto cælo discrepant virtutes à passionibus.

6. Peripateticorum Definitio, quam tradunt virtutis, spuria est, & ex Saniori Philosophia Morali eliminanda, imò furca expellenda.

7. Longe rationalior & utrisque ulnis accipienda est virtutis definitio, qua dicitur Amor Rationis.

8. Virtus tali sensu sumpta Unica est, & qui eam possidet, omnes possidet.

9. Unicæ hujus virtutis verò variæ sunt proprietates, quarum primariæ sunt Diligentia, Obedientia, Justitia & Humilitas, alias etiam Cardinales dictæ, quia nulla est actio virtuosa, ad quam exserendam non concurrant omnes simul.

10. Diligentia attendit ad Rationis dictamen, Obedientia huic dictamini obsecundat & paret, Justitia terminos præscribit, ne scil. quid minus vel nimis fiat, Humilitas verò contemptum sui ipsius scil. negativum vult.

11. Virtutes Cardinales, quas Peripatetici præscribunt, excepta Justitia, veræ non sunt, quia ad omne exercitium virtutis non concurrunt.

12. Datur in hac vita summum Bonum, quo homo per se potiri potest, scil. virtus ipsa seu constans secundum rationis



tionis dictamen agendi voluntas, & hinc resultans animæ tranquillitas.

13. Animæ Natura & Essentia sicuti in sola consistit actuali & perenni Cogitatione, ita duæ primariæ ejus sunt Facultates, Una Intelligens, altera volens.

14. Prior respectu posterioris mere est passiva, posterior verò respectu prioris mere Activa.

15. Voluntas itaq; liberrima est, & nullo modo cogi potest.

---

**E**X tollis meritò Mysteria Sancta supremi,  
Quæ satis *in Genesi* conspicienda dedit.  
Humani Fœtus primordia quæris *in Ovo*,  
Quod primum Patriæ colligis esse locum.  
Ast si Naturæ turbet molimina quicquam,  
Deficit ex Templo, *Monstraq;* mira parit.  
Quæ dum demonstras solidè, Doctissime GRÆTZI,  
Gratulor ex Animo prospera cuncta Tibi.

*F.*

P R Æ S E S.

---

**S**Pem, quam concepi de Te, Suavissime Amice,  
Expletam partim video, dum scandere tentas  
Doctorum sedem, nec non differere docte  
De nato Monstro, quod Urbis *Dessavia* vidit.  
Consuêrunt multi *verbo* quoque multa precari;  
Hinc precor hoc *uno*, sis Mente & corpore FELIX.

*f.*

Wilh: Aug: Kindscherus.

G 2

Hono-

Honori  
Auctoris ad magna nati.

Sic est: Ter Sapiens Plastes tremebunda creavit;  
Ordine formavit, distinxit singula Mundi:  
Semper concurrit, servat, dextra omnipotente.  
Autorem clamant, testantur Ter Sapientem.  
Imprimis *Parvus Mundus*, qui Numen adumbrat,  
Ceu Titulus Mundi est, jussit Divina voluntas  
Partibus egregiis & Mente & Corpore rectis.  
Sanctum hunc proh! nexum Mundi turbavit Adamus  
Multis peccatis: Hinc tristia rara videntur  
Nexu mutato, Telluris Monstra creantur:  
Monstrousi partus, prorsus terrente figura,  
Communi à forma qui toti sæpe recedunt.  
Tales permultos Mundus, quos Ordine *Schottus*  
Collegit, vidit. Fortassis plura recondunt.  
Castra matrum ventris, quæ vitæ fila secarunt,  
Monstra, & Telluri jam longo tempore subsunt.  
Vidit Monstrousum partum *Dessavia nostra*.  
Multi mirantur, quî talis possit oriri,  
Nutriri, augeri, nasci. Deducis ab Ovo  
Hoc totum Monstrum, docto ac specimine terfo.  
Felicis gressus monstras, quos in Medicina  
Fecisti multos, certos, sub *PRÆSIDE Docto*.  
Faxit *Sancta Trias*! post hac *Tua* studia porro  
Cedant ex Voto, Numen bene coepta secundet!

f.

CHRISTIANUS PÜSCHEL.

Der

**D**er Seele geh't es oft wie einem Wanders-Mann/  
Der sein Vergnügen sucht in weit entfernten Ländern/  
Da sich die Sitten so samt dem Geblüth verändern/  
Daß ihm sein Vaterland fast nur ein Traum seyn kan.  
So ist der Mensch bemüht in diesem Welt Pallast/  
Wie Er die Eigenschafft der Körper mög' erfinden/  
Ja selbst den schnellen Lauf der Sternen mög' ergründen/  
Ob er schon in ihm selbst ein Fremdling ist und Gast.  
Weit höher die Natur von denen wird geacht/  
Die Ihre Wunderwerck erst in sich selbst erwegen/  
Und Ihren Ursprung recht mit Andacht überlegen/  
Und dann besinnen auch den reichen Erden Pracht.  
Das Erste Menschen Haus ist nur ein rundes Ey/  
In welchem Er vorlängst verborgen hat gelegen/  
Doch ist beschwängert/sich bald fänget an zu regen//  
Und von Gefangenschafft sich sucht zu machen frey.  
Es welket ferner sich in eine finstre Brust/  
Da es der süsse Chyl der Mutter muß ernehren/  
Und alle Leibes-Theil Neun Monath so vermehren/  
Bis endlich die Geburth sich sehnt nach frischer Luft.  
Doch wird oft die Natur gehemmt in diesem Lauff/  
Indem sie innerlich mit Feinden sich muß streiten/  
Und also ihr Gesetz bißweilen überschreiten/  
Daher Sie wunderbahr die Mißgeburth führt auff.  
Diß hastu dargethan/Harvei Edler Sohn/  
Dir muß in diesem Stück selbst der Galenus weichen/  
Kaum Aristoteles dir wird das Wasser reichen;  
So kriegstu Ehr und Ruhm zum wohlverdienten Lohn.

Dieses wenige wolte als ein aufrichtiger Freund  
des Herrn Authoris hinterlassen

A. D. Gölicke/  
Philosoph. & Medicin. Studios.

26 1095 A  
A ffundor magno, Suavissime Amice, pudore,  
Atque quiete frui mens mea sæpe nequit;  
Quod, quibus es dignus, laudes extollere verbis  
Planè non valeam, nec tua jam merita.  
Quod veluti quondam tenebris latitabat in imis,  
Nec poterat sensu, nec ratione capi;  
Hic tam distinctis verbis proponere tentas,  
Ut facilè & clarè cernere quisque queat.  
Quapropter cœptis ex toto pectore felix  
Gratulor auspiciam suavis Amice, tuis.

*Votum Chronodistichon.*

TV CVnctos Vrge Cœptos VIRTUTE Labores,  
SEMper CVnctipotens te IVVet, Ipse preCor.

*Paucula hæc in laudem Doctiss: Domini Auctoris  
& Respondentis, Amici sui dilectissimi ad-  
dere voluit debuit*

R. L. HORSTIUS, Bernb: Anhalt,  
Philos. & Med. Stud.

---

Quid monstrum sit: Quæ quoq; sit monstri proba causa  
In Doctò monstras Themate ritè tuo.  
Fac, pergas studiis benè cœptis invigilare  
En! Capiti præstò est Laurus, Amice, tuo.

*Hæc paucula Domino Auctori, Amico suo inte-  
gerrimo apponere voluit*

Ernestus Casparus Kühne/  
Philosoph: ac Medic: Studios.

ULB Halle

001 548 395



3



VOT

G.K. 134. 44<sup>2a</sup>

DISPUTATIO PHY  
DE  
MONSTROSO  
DESSAV

Quam

JEHOVA JU

PRÆSI

DN. CONRADO PHIL

Medicinæ Doct. Ejusdemq; Facu  
in Illustr. Lyceo Anhalt, Prof. I  
miæ Cæsareo-Leopoldinæ Nat  
dignissimo, nec non Reipub  
dinario & Practico

*Mæcenate & Studiorum suorum Mo  
& honoris cultu V*

Publicæ ventilation

Ad diem II. Martij Ann

H. L. Q.

AUTHOR RESPON

JOHANNES HENRIC

Dessa-Anhalt

Philosoph: & Medic



SERVESTÆ, EXCVDIT J



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Inches  
Centimetres

